

Žanrovi latiniteta humanizma i renesanse

2018/19

Upute

Studentske obveze:

- 1) Redovito dolaženje na nastavu (do 5 izostanaka)¹
- 2) Polaganje dvaju kolokvija
 - a. 17. IV. 2019. (Petrarca, Cortesius, Marulus, Pannonius) – 25 bodova
 - b. 5. VI. 2019. (Cervarius Tubero, Tranquillus Andronicus, Benignus) – 25 bodova

Sadržaj kolokvija: prijevod, jezična analiza, sadržajna pitanja

Student mora sakupiti ukupno 25 bodova iz dvaju kolokvija da bi ostvario pravo na potpis. Na temelju bodova ostvarenih na kolokvijima studentu se predlaže konačna ocjena. Studenti koji nisu zadovoljni ocjenom izlaze na usmeni ispit.

Sve obavijesti i svi nastavni materijali mogu se naći na mrežnoj stranici Hrvatskih studija:
Odsjeci > Odsjek za hrvatski latinitet > Nastavnici i predmeti > Predmeti > Žanrovi latiniteta humanizma i renesanse

Kontakt nastavnika: sdemo@hrstud.hr

¹ Za svaki daljnji izostanak broj bodova ostvarenih na kolokvijima umanjuje se za 5.

Desiderius Erasmus Roterodamus

De recta Latini Graecique sermonis pronuntiatione dialogus 20–23

20 VRSVS: His coniuncta est legendi cura, cuius celeritas, nisi primis statim annis paretur, non temere contingit homini, quantumvis adnitatur. Vix autem fieri potest, vt lectione delectetur, qui legendo haeret ac laborat. Proinde, vt qui parum expedite scribunt, ad dictandi compendia confugiunt, ita qui difficulter legunt, aut in totum abstinere a libris, aut si quid coguntur scire, lectorem accersunt. Vtrobique perit illud secretum, quod praecipue alit ingenium, sive tuas cogitationes mandare litteris pares, sive magnorum virorum cogitationes velis cognoscere. Vt autem puer statim per lusum agnoscere discat litterarum figuras, rem adfero dictu humilem, sed tamen a summis viris traditam: profuerit eas crustulis exprimere, vt diuinanti nomen elementi praemium sit ipse cibus. Hoc Flacci consilium est. Fabius aliud indicat huic simile, vt ex ebore fingantur litterarum formae, atque vt his lusus aliquis pueris gratus proponatur, qualis est nucum aut talorum aut si quod aliud genus, quod nisi cognitis ac nominatis elementorum vocabulis peragi non queat. Quam ad rem accommodatissimus latruncolorum ludus, quem hodie scacorum vulgus appellat, sic vt hinc Graecae hinc Latinae litterae inter se concurrerent, nisi quod operosior est quam vt aetati primae conueniat, adultioribus aptissimus. Idem efficient munuscula, quae puerorum vestibibus ornatus gratia affiguntur aut in manum dantur, vt cum voluptate intueantur, contrectent ac nominent. Videmus aetatem illam affici voluptate, si in picturis agnoscant hominis aut animantis alteriusue rei figuram, ac nomen reddant. Simili illecebra poterunt et ad litteras agnoscendas irritari.

21 Mox ad syllabarum connexionem progrediendum, hinc ad dictionum complexum, postremo ad orationis structuram. Ea res fere constat memoria; quam volunt esse certam, eoque negant primae fidendum, sed nunc recto, nunc inuerso, nunc confuso litterarum, syllabarum ac dictionum ordine repetenda subinde eadem et inculcanda, donec certam legendi facultatem et expeditam paratam esse constiterit. Nec ante tempus affectanda celeritas, quo fit vt multum adferat morae lectioni incogitans festinatio, dum auditor dubitat quid legerit, dum auribus non assequitur lingua properantem, dum quaedam intermittuntur, quaedam perperam sonantur; vnde, dum vel aliis reuocantibus vel ipse tibi diffidens repetis multa, non parum dispendii secum adfert male captatum compendium. Prima cura sit vt attente, vt emendate legamus; caeterum vt idem faciamus expedite, nec cogitantes ac velut alii agentes, dabit vsus. Id quod scite praecepit Fabius: Certa sit, inquit, in primis lectio, deinde coniuncta, et diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. LEO: Ista praeceptio non hic tantum valet.

22 VRSVS: Adiciebant et illud: dum legis, in dextrum flectendos oculos et quodammodo praecurrendum, diducta in duas res animi intentione, vt aliud agatur voce, aliud prospectu, quemadmodum qui facit iter, non hoc intuetur quod calcatur sed quod calcaturus est; sic huic posteriore intuenti priore recitanda sunt. LEO: Demiror quur hoc natura inuiderit homini, vt altero oculo prospiceret in dextrum, altero in laeuum. Nec video quorsum opus sit duobus, quum fabri et balistarii, si quando maxime intendunt prospectum, alterum occludant oculum. VRSVS: Dicam, si quis te casus altero orbaret oculo, nonne gauderes alterum superesse? LEO: Verum si legas Hebraea, in laeuum flectendus prospectus. VRSVS: Nimirum, vt in scribendo manus. Verum id minimo negotio docet paucorum dierum vsus. Noui qui et pedum digitis expedite sciteque scriberent. Quibusdam ea prospectus celeritas est, vt oculis praeuolantibus deprehensa sententia bene legant etiam perperam scripta. Quaedam enim nisi cognito prius sensu recte sonari non possunt, etiam si bene scripta sint. LEO: Credo, sed plures sunt, qui recte scripta legant perperam. VRSVS: Quod dicam, prodigii simile est. Viuit adhuc quidam de procerum aulicorum numero, qui nunquam legit ipsum quod scriptum est, sed loci sententiam aliis reddit verbis. Rogatus a me, num sciret se id facere, fatebatur se frequenter huius rei admonitum. Quaerebam, num sciens ac volens id faceret. Negabat; imo non dissimulauit se sibi hoc nomine displicere. Addebam, quanam occasione venisset in eam consuetudinem; num puer habuisset praeceptorem, qui parandae copiae gratia iussisset illum aliis verbis efferre quod legeret, aut num quid aliud accidisset simile. Negauit. Nam est huiusmodi musices genus apud Britannos, vt multi inter se concinant, quorum nullus eas sonat voces quas habent codicum notulae. LEO: Habet natura suas quasdam arcanas causas, quas frustra scrutantur homines. Et ipse noui puerum annos natum duodecim, caetera perfectum; hoc tantum habebat prodigiosum, quod omnia verba praepostere loqueretur, quod in nostrate lingua scis esse absurdissimum. Nam Latine loquentibus, quanquam ad decorum compositio plurimum facit, tamen ad sensum fere nihil refert, siue dicas <Honora patrem tuum> siue <Patrem tuum honora>; nihil autem absurdius, quam si quis nostrate lingua dicat <Patrem tuum honora.>

23 VRSVS: Sic est vt dicis. Addunt autem praeceptiunculam mea sententia non aspernandam, quae pariter et ad legendum et ad scribendum pertinet, nonnihil etiam ad mores. LEO: Audire gestio. VRSVS: Moris est vt post agnitas formulas et contextas syllabas incipiant scribere nomina, mox et oratiunculas. LEO: Sic est. VRSVS: Hoc operae nolunt insumi in vocabulis inanibus ac nihil significantibus aut vulgo notis. LEO: Expecto vt melius dicas. VRSVS: Scis bonam eruditionis partem esse, scire rerum vocabula. Hic supra modum cessatur a grammaticis vulgaribus, quorum vitio fit, vt adolescentes post multos annos in grammaticae contritos vix norint vllius arboris, piscis, volucris, quadrupedis aut leguminis verum nomen. Ne domi quidem vllam supellectilem Latine nominare possunt, adeo vt quum volunt sibi dari mantile, dicant <Da mihi rem>, et aut indice digito est opus aut

vulgatae linguae subsidio. Idem vsu venit, si producantur in officinam cuiuslibet artificis; tantum generales rerum voces vtcunque tenent, species prorsus ignorant. LEO: Istud mihi sane vsu venit, ac mecum aliis quamplurimis. Arborem, legumen, herbam, equum et canem ostendere possum; at si quis exiget vt ostendam alnum aut fraxinum aut ilicem, silurum, scarum aut pectinem, eruum aut milium, scolopendram, viuerram aut felem, haereo. VRSVS: Sic et in dialecticis pueri nihil audiunt nisi *Sortes currit, Plato disputat, Si asinus volat asinus habet pennas, et Sortem currere est possibile*. LEO: Quid igitur hic consilii? VRSVS: Eadem opera licebit pueris praescribere vulgo non obuia rerum vocabula aut voces exquisitas, nonnunquam et bonae rei quippiam admonentes. Tam facile discitur quid sit lacerta aut stellio aut pectunculus, quam quid sit canis aut vacca, nec difficilius scribitur *Tempori parce* quam *Vacca mingit* aut *Canis latrat*. Interdum vnica vox continet perfectam sententiam, vt $\sigma\omega\varphi\rho\nu\epsilon\iota$. Id multo magis conuenit obseruari, posteaquam eo profecit puer, vt integri versus iam sint ad imitationem praescribendi. Quur enim non potius illis praescribitur hoc carmen:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem | testa diu

quam illud

Aut pluit aut ningit aut nostra pedissequa mingit?

In hunc vsum valebunt celebrium virorum apophthegmata, exquisitae breuesque sententiae, proueria ac lepide dicta, cuiusmodi supellex ad omnem dicendi facultatem plurimum habet momenti. Quorum si quis singula contemnit, huic occinam illud Hesiodium: *Pusillum pusillo si addideris, cito nasci magnum aceruum*. Et haec inter lusum licet ediscere, nulla rerum memoria tenacius ad ipsam vsque senectutem haesura animo, quam quae sic infixae sunt. Vides igitur quanta nobis hic pereat vtilitas. LEO: Video sane quanta pars aetatis nobis instituentium vitio praeterfluat.

Desiderius Erasmus Roterodamus

Stultitiae laus

Declamatio. Stultitia loquitur.

Utcunque de me vulgo mortales loquuntur (neque enim sum nescia, quam male audiat stultitia etiam apud stultissimos), tamen hanc² esse, hanc inquam esse unam, quae meo numine deos atque homines exilaro, vel illud abunde magnum est argumentum, quod simul atque in hunc coetum frequentissimum dictura prodii, sic repente omnium vultus nova quadam atque insolita hilaritate enituerunt, sic subito frontem exporrexistis, sic laeto quodam et amabili applausistis risu, ut mihi profecto quotquot undique praesentes intueor, pariter deorum Homericorum nectare non sine nepenthe temulenti esse videamini, cum antehac tristes ac solliciti sederitis, perinde quasi nuper e Trophonii specu reversi³. Caeterum quemadmodum fieri consuevit, ut cum primum sol formosum illud et aureum os terris ostenderit, aut ubi post asperam hyemem novum ver blandis aspirarit Favoniis⁴, protinus nova rebus omnibus facies, novus color ac plane iuventa quaedam redeat, ita vobis, me conspecta, mox alius accessit vultus. Itaque quod magni alioqui rhetores vix longa diuque meditata oratione possunt efficere, nempe ut molestas animi curas discutiant, id ego solo statim aspectu praestiti. Quam ob rem autem hoc insolito cultu prodierim hodie, iam audietis, si modo non gravabimini dicenti praebere aures, non eas sane quas sacris concionatoribus, sed quas fori circulatoribus, scurris ac morionibus consuevistis arrigere⁵, quasque olim Midas ille noster exhibuit Pani.⁶ Lubitum est enim paulisper apud vos sophistam⁷ agere, non quidem huius generis, qui hodie nugas quasdam anxias inculcat pueris ac plusquam muliebrem rixandi pertinaciam tradit, sed veteres illos imitabor, qui quo infamem Sophorum appellationem vitarent, Sophistae vocari maluerunt. Horum studium erat deorum ac fortium virorum laudes encomiis celebrare. Encomium igitur audietis, non Herculis, neque Solonis, sed meum ipsius, hoc est, Stultitiae. Iam vero non huius facio⁸ sapientes istos, qui stultissimum et insolentissimum esse praedicant, si quis ipse laudibus se ferat. Sit sane quam volent stultum, modo decorum esse fateantur. Quid enim magis quadrat, quam ut ipsa

² Hanc = me.

³ E Trophonii specu homines macie confecti et squalidi egredi solebant.

⁴ Favonii venti sunt verni, ad quorum flatum solvitur gelu et laxatur humus.

⁵ Obiter notat mores hominum, qui ad ineptas fabulas attenti, in sacris concionibus dormitant.

⁶ Nota est fabula de Mida, qui Panem canentem Apollini praetulit.

⁷ Olim sophistae dicebantur philosophi et sapientiae professores, deinde rhetores. Postremo abiit nomen in invidiam, ut sophistae dicerentur, qui fictam quandam sapientiae speciem jactitarent.

⁸ Hoc accipiendum, ut floccum aut pilum ostendat.

Moria suarum laudum sit buccinatrix et *αὐτὴ ἑαυτῆς ἀλετρὶς*⁹? Quis enim me melius exprimat quam ipsamet? Nisi si cui forte notior sim, quam egomet sum mihi! Quanquam ego hoc alioqui non paulo etiam modestius arbitror, quam id quod optimatum ac sapientum vulgus facit, qui perverso quodam pudore, vel rhetorem quempiam palponem, vel poetam vaniloquum, subornare solent, eumque mercede conductum, a quo suas laudes audiant, hoc est, mera mendacia, et tamen verecundus¹⁰ interim ille pavonis in morem pennas tollit, cristas erigit, cum impudens assentator nihili hominem diis aequiparat, cum absolutum omnium virtutum exemplar proponit, a quo sciat ille se plus quam *δὶς διὰ πασῶν*¹¹ abesse, cum corniculam alienis convestit plumis, cum *τὸν Αἰθίοψα λευκάνει*¹², denique cum *ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ*¹³. Postremo sequor tritum illud vulgi proverbium quo dicitur is recte laudare sese, cui nemo alius contigit laudator. Quamquam hic interim demiror mortalium, ingratitude dicam, an segnicem, quorum, cum omnes me studiose colant meamque libenter sentiant beneficentiam, nemo tamen tot iam seculis extitit, qui grata oratione Stulticiae laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Busirides, Phalarides, febres quartanas, muscas, calvicia atque id genus pestes accuratis magnaue et olei et somni iactura¹⁴ elucubratis laudibus vexerint.

⁹ Graece: Ipsa sui tibicina. Proverbium est, ubi quis se ipsum factis commendat.

¹⁰ Ironice dicit verecundum, impudentissimum significans, qui talia possit audire.

¹¹ Id est, Bis per omnia. Ea est musicorum harmonia, quam vulgo duplicem octavam vocant. Abiit autem in proverbium, quo maximum intervallum significamus.

¹² Id est, Aethiopem dealbat. Est proverbium de re impossibili. Verum hic eleganter detorsit ad id, quod is qui niger est factis, hoc est, infamis, ut candidus laudatur et alius pingitur quam est.

¹³ Id est, ex musca elephantem facit. Adagium est, cum quis rem nihili verbis attollit.

¹⁴ Quia vigilant ad lucernam.

Franciscus Petrarca

Epistulae

24.3 Franciscus Ciceroni suo salutem.

[1] Epystolas tuas «diu multumque perquisitas» atque ubi minime rebar inventas, avidissime perlegi. Audivi multa te dicentem, multa deplorantem, multa variantem, Marce Tulli, et qui iampridem qualis preceptor aliis fuisses noveram, nunc tandem quis tu tibi esses agnovi. Unum hoc vicissim a vera caritate profectum non iam consilium sed lamentum audi, ubicunque es, quod unus posterorum, tui nominis amantissimus, non sine lacrimis fundit. [2] O inquiete semper atque anxie, vel ut verba tua recognoscas (Ps.-Cic. ad Octav., 6), «o preceps et calamitose senex», quid tibi tot contentionibus et prorsum nichil profuturis simultatibus voluisti? Ubi et etati et professioni et fortune tue conveniens otium reliquisti? Quis te falsus glorie splendor senem adolescentium bellis implicuit et per omnes iactatum casus ad indignam philosopho mortem rapuit?

[3] Heu et fraterni consilii immemor et tuorum tot salubrium preceptorum, ceu nocturnus viator lumen in tenebris gestans, ostendisti secuturis callem, in quo ipse satis miserabiliter lapsus es. Omitto Dyonisium, [4] omitto fratrem tuum ac nepotem, omitto, si placet, ipsum etiam Dolabellam, quos nunc laudibus ad celum effers, nunc repentinis malidictis laceras: fuerint hec tolerabilia fortassis. Iulium quoque Cesarem pretervehor, cuius spectata clementia ipsa lacessentibus portus erat; Magnum preterea Pompeium sileo, cum quo iure quodam familiaritatis quidlibet posse videbare. Sed quis te furor in Antonium impegit? [5] Amor credo reipublice, quam funditus iam corruisse fatebaris. Quodsi pura fides, si libertas te trahebat, quid tibi tam familiare cum Augusto? Quid enim Bruto tuo responsurus es (ad Brut. I, 16, 7)? «Siquidem» inquit, «Octavius tibi placet, non dominum fugisse sed amiciorem dominum quesisse videberis». [6] Hoc restabat, infelix, et hoc erat extremum, Cicero, ut huic ipsi tam laudato malidiceres, qui tibi non dicam malifaceret, sed malifacientibus non obstaret. Doleo vicem tuam, amice, et errorum pudet ac miseret, iamque cum eodem Bruto (ad Brut. I, 17, 5) «his artibus nichil tribuo, quibus te instructissimum fuisse scio». Nimirum quid enim iuvat alios docere, quid ornatissimis verbis semper de virtutibus loqui prodest, si te interim ipse non audias? [7] Ah quanto satius fuerat philosopho presertim in tranquillo rure senuisse, de «perpetua illa», ut ipse quodam scribis loco (ad Att. X, 8, 8), «non de hac iam exigua vita cogitantem», nullos habuisse fasces, nullis triumphis inhiasse, nullos inflasse tibi animum Catilinas. Sed hec quidem frustra.

Eternum vale, mi Cicero.

Apud superos, ad dexteram Athesis ripam, in civitate Verona Transpadane Italie, XVI Kalendas Quintiles, anno ab ortu Dei illius quem tu non noveras, MCCCXLV.

Angelus Politianus

Epistola ad Paulum Cortesium

1 Angelus Politianus Paulo Cortesio suo salutem dicit

Remitto epistolas diligentia tua collectas, in quibus legendis (ut libere dicam) pudet bonas horas male collocasse. Nam praeter omnino paucas, minime dignae sunt quae vel a docto aliquo lectae, vel a te collectae dicantur. Quas probem, quas rursus improbem, non explico. Nolo sibi quisquam vel placeat in his auctore me vel displiceat. Est in quo tamen a te dissentiam de stilo nonnihil. Non enim probare soles (ut accepi) nisi qui liniamenta Ciceronis effingat. Mihi vero longe honestior tauri facies aut item leonis quam simiae videtur, quae tamen homini similior est. Nec ii, qui principatum tenuisse creduntur eloquentiae, similes inter se, quod Seneca prodidit. Ridentur a Quintiliano qui se germanos Ciceronis putabant esse, quod his verbis periodum clauderent: *esse videatur*. Inclamat Horatius imitatores ac nihil aliud quam imitatores. Mihi certe quicumque tantum componunt ex imitatione similes esse vel psitaco vel picae videntur, proferentibus quae nec intellegunt. Carent enim quae scribunt isti viribus et vita; carent actu, carent affectu, carent indole; iacent, dormiunt, stertunt. Nihil ibi verum, nihil solidum, nihil efficax. Non exprimis, inquit aliquis, Ciceronem. Quid tum? Non enim sum Cicero. Me tamen (ut opinor) exprimo.

2 Sunt quidam praeterea, mi Paule, qui stilum quasi panem frustillatim mendicant, nec ex die solum vivunt, sed et in diem; tum nisi liber ille praesto sit ex quo quid excerpant, colligere tria verba non possunt. Sed haec ipsa quoque vel indocta iunctura vel barbaria inhonesta contaminant. Horum semper igitur oratio tremula, vacillans, infirma, videlicet male curata, male pasta, quos ferre profecto non possum. Iudicare quoque de doctis imprudenter audentes, hoc est de illis quorum stilum recondita eruditio, multiplex lectio, longissimus usus diu quasi fermentavit.

3 Sed ut ad te redeam, Paule, quem penitus amo, cui multum debeo, cuius ingenio plurimum tribuo, quaeso, ne superstitione ista te alliges, ut nihil delectet quod tuum plane sit, et ut oculos a Cicerone deicias. Sed cum Ciceronem, cum bonos alios multum diuque legeris, contriveris, edidiceris, concoxeris et rerum multarum cognitione pectus impleveris, ac iam componere aliquid ipse parabis, tum demum velim (quod dicitur) sine cortice nates, atque ipse tibi sis aliquando in consilio, sollicitudinemque illam morosam nimis et anxiam deponas effingendi tantummodo Ciceronem tuasque denique vires universas pericliteris. Nam qui tantum ridicula ista quae vocatis liniamenta contemplantur attoniti, nec illa ipsa (mihi crede) satis repraesentant, et impetum quodammodo retardant ingenii sui, currentique velut obstant, et (ut utar Plautino verbo) remoram faciunt. Sed ut

bene currere non potest qui pedem ponere studet in alienis tantum vestigiis, ita nec bene scribere qui tamquam de praescripto non audet egredi. Postremo scias infelicis esse ingenii nihil a se promere, semper imitari.

Vale.

Paulus Cortesius

Epistola ad Angelum Politianum

1 Paulus Cortesius Angelo Politiano suo salutem dicit.

Nihil umquam mihi tam praeter opinionem meam accidit quam redditus ad te liber epistolarum nostrarum. Putabam enim illum tibi in tantis occupationibus excidisse. Nunc autem lectis tuis literis video illum non modo a te gustatum, sed etiam plane devoratum, cum et scripseris puduisse te in eo legendo bonas horas male collocasse, et eas ipsas minime tibi dignas videri, quae vel ab aliquo docto lectae vel a me collectae fuisse dicantur, praeter nescio quas hominum perpaucorum. Ego autem totum istud tibi remitto, nec plane iudicium meum interponam, cum nefas sit quodammodo a te dissentire. Et ego is sim, qui de altero iudicium facere (ut ait Marcus Tullius) nec velim si possim, nec possim si velim. Sed veniam ad illud in quo te dicis a me quam maxime dissentire.

2 Scribis enim te accepisse me neminem probare, nisi qui liniamenta Ciceronis consecrari videantur. Ego vero quantum repetere memoria possum, nec istud recordor umquam dixisse, nec dictum volo. Quae enim stultitia esset, ut cum tam varia sint hominum ingenia, tam multiplices naturae, tam diversae inter se voluntates, eas velle unius ingenii angustiis astringi et tamquam praefiniri? Sed quoniam me in hanc disputationem vocas, non erit fortasse alienum tempus purgandi iudicii nostri et tuendi mei, cum plane cognoscam verba tua esse suavis, non lacescentis. Et primum de iudicio libenter fatebor, cum viderem eloquentiae studia tamdiu deserta iacuisse et sublatum usum forensem et quasi nativam quandam vocem deesse hominibus nostris, me saepe palam affirmasse nihil his temporibus ornate varieque dici posse, nisi ab iis qui aliquem sibi praeponerent ad imitandum. Cum et peregrini expertes sermonis alienas regiones male possint sine duce peragrare, et anniculi infantes non nisi in curriculo aut nutrice praeunte inambulent. Cum autem multi in omni eloquentiae genere floruerint, memini me unum Marcum Tullium ex doctorum acie abduxisse, in quem omnium ingeniosorum hominum studia conferenda putarem. Non quod ignorarem multos dicendi gloria praestitisse qui et acuere industriam et multis oratoriis virtutibus alere ingenia possent, sed et quia videbam hunc unum omnium saeculorum consensu principem esse iudicatum, et quia a puero didiceram in omni numero semper optimum esse eligendum. Corrupti stomachi et intemperantis aegri esse putabam deteriolem cibum seligere, salutarem et optimum aspernari. Ausim nunc etiam affirmare idem quod saepe: neminem post Marcum Tullium in scribendo laudem consecutum, praeter unum aut alterum, qui non sit ab eo eductus et tamquam lactis nutrimento educatus. Sed erat tum quaedam certa imitandi ratio, quae et fastidio similitudinis occurrebatur et nitidum illud genus hilaritate quadam aspersa condiebatur. Nunc autem illa ab hominibus nostris aut neglecta est aut

ignorata. Similem volo, mi Politiane, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis. Illa enim ridicula imitatrix tantum deformitates et vitia corporis depravata similitudine effingit. Hic autem vultum, incessum, statum, motum, formam, vocem denique et figuram corporis representat, et tamen habet in hac similitudine aliquid suum, aliquid naturale, aliquid diversum, ita ut cum comparentur dissimiles inter se esse videantur.

3 Dicam idem iterum: habere hoc dilucidam illam divini hominis in dicendo copiam, ut existimanti se imitabilem praebeat, experienti spem imitationis eripiat. Fit enim undique ad eum concursus et quisque arbitratur illo modo se posse dicere. Homines enim natura suavitatis avidiores difficillimam rem voluntate, non facultate metiuntur. Itaque dum abundantiam sermonis et (ut ipsi aiunt) facilitatem imitantur, nervos et aculeos deserunt, et tum a Cicerone absunt longissime. Nec autem refert alieno ornatu et quibusdam luminibus ac quasi insignibus nostra scripta explere, nisi queamus id distincte apteque facere. Fit enim nescio quid monstrosum, cum membra cohaerentia male dissipantur.

4 Quare (ut de me loquar) nihil est, Politiane, quod me a Ciceronis imitatione deterreas, sed quod potius obiurges inscitiam, quod nequeam bene illum imitari, quamquam ego malo esse assecula et simia Ciceronis quam alumnus aut filius aliorum. Sed permagni interest utrum quis videatur quenquam velle imitari aut neminem. Ego autem statuo non modo in eloquentia, sed in aliis etiam artibus necessariam esse imitationem. Nam et omnis doctrina ex antecedenti cognitione paratur, et nihil est in mente quin fuerit prius in sensibus perceptum. Ex quo intellegitur omnem artem naturae esse imitationem, sed natura fieri ut ex eodem genere dissimilitudo nascatur. Homines enim, cum inter se dissimiles sint, similitudine coniunguntur, et quamquam alii coloratiores, alii pallidiores, alii venustiores, alii proceriores sint, una tamen est omnibus figura et forma. Illos autem quibus aut crus aut manus aut brachia desunt, non omnino ex hominum genere excludendos, sed aut mancos aut claudos appellandos putarem. Sic eloquentiae una est ars, una forma, una imago. Qui vero ab ea declinant, saepe distorti, saepe claudi reperiuntur. Aspice nunc eos homines qui sibi elegerunt Marcum Tullium imitandum, quantum ab eo distent, quantum etiam inter se dissimiles sint! Profluentem quandam sine modestia ubertatem Livius arripuit, acumen Quintilianus, sonum Lactantius, lenitatem Curtius, elegantiam Columella, quorum cum esset unum prope imitandi propositum, nihil est tam dissimile quam ipsi inter se, nihil tam distans (si comparentur) quam ipsi a Cicerone. Ex quo intellegi maxime et cum iudicio ponderandam esse imitationem, et cum ipsum hominem mirabilem fuisse, ex quo tam diversa ingenia tamquam ex perenni quodam fonte defluerint.

5 Omnino, Politiane, certis auctoribus insistendum est, quibus ingenia formentur et tamquam alantur. Relinquunt enim in animis semina quae in posterum per se ipsa coalescunt. Qui autem neminem

imitari et sine cuiusquam similitudine laudem consequi videri volunt, nihil (mihi crede) roboris aut virium in scribendo prae se ferunt, et illi ipsi qui se niti dicunt ingenii sui praesidiis et viribus facere non possunt quin ex aliorum scriptis eruant sensus et infarciant suis, ex quo nascitur maxime vitiosum scribendi genus, cum modo sordidi et inculti, modo splendidi et florentes appareant, et sic in toto genere, tamquam in unum agrum inter se inimicissima sparsa semina. Fieri enim non potest quin varia ciborum genera male concoquantur, et quin ex tanta colluvione dissimillimi generis inter se verba collidantur. Nec minus huius corruptae orationis asper concursus aures ferit quam ruentium lapidum fragor aut strepitus aut quadrigae transcurrentes. Quid enim voluptatis afferre possunt ambiguae vocabulorum significationes, verba transversa, abruptae sententiae, structura salebrosa, audax translatio nec felix, ac intercisi de industria numeri, quod necesse est his omnibus accidere qui ex singulis sensus et verba eruunt et neminem imitantur. Horum sane omnis oratio est tamquam Hebraeorum domus, quibus sunt ad quoddam tempus diversorum hominum bona oppignerata. Nam ibi et lacernae et amictus et penulae et multorum saepe pallia suspensa internoscuntur. Ego autem tantum interesse puto inter eum qui neminem imitatur et qui certum ducem consecatur, quantum inter eum qui temere vagetur et qui recta proficiscatur. Ille devius inter spinas volutatur, hic autem ex proposito itinere ad constitutum locum sine lapsu et molestia contendit.

6 Praeterea, Politiane, sic habe neminem eloquentiae laudem consecutum qui non sit in aliquo imitationis genere versatus. Apud Graecos non modo oratores Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines et Deinarchus, sed etiam illi ipsi philosophi, virtutum magistri, alicuius imitatores esse voluerunt. De nostris hoc loco taceo, ne videar tibi uni omnium doctissimo quasi scholam quandam explicare. Nec item aliquid de Marco Tullio dicendum puto. Exploratum est iam illud omnibus, ut qui se ad Marcum Tullium effingendum contulerit, si minus aliquam imitandi gloriam assequatur, in eo tamen ornetur, quod illum sibi elegerit exprimendum, ut illud fuisse naturae et ingenii videri possit, hoc iudicii.

Vale.

Georgius Sisgoreus

Elegia de Sibenicensis agri uastatione

Credebam post multa mei mala fata uigoris
 Denique iam fatis uiuere posse bonis.
 Interdum celum nimbis agitur et auris,
 Interdum radiis ornat Apollo suis.
 Non mutat scaeuas in me fortuna sagittas;
 Me miserum semper, fors mala, quid
 crucias?
 Sapphica credebam iam leto condere cantu
 Te, pulcher, Musis, Phoebe, fauente
 meis.
 Nunc elegos iterum cogor cantare dolentes
 Et premor, a! lacrimis protinus ipse
 meis.
 Non fato similes habeo, fortuna, poetas,
 Qui cecinere elegos corde gemente
 malos.
 Delia, te cultus cantat, formosa, Tibullus
 Et dolet ingratas semper habere faces.
 Non erat ille dolor uatis sine uulnere ceco,
 Attamen ille dolor plenus amoris erat.
 Naso, pulsus eras patria cariturus, amicis,
 Sollatio multo, coniuge et ipse tua.
 Ille dolor cunctos uincebat, Naso, dolores,
 Quem uincit certe nunc meus iste
 dolor.
 Praetereo fratres crudeli morte peremptos,
 Quos fleuit misero nostra querella
 sono,
 Et taceo multos, qui me pressere, dolores;

Me miserum semper, fors mala, quid
 crucias?
 Hei mihi, nunc doleo patrios uastarier agros
 Factaque Christicolis maxima probra
 uiris.
 Ista mei luctus et magni causa doloris,
 Et superat querulos nostra querella
 modos.
 Est genus inuisum cunctis in partibus orbis,
 Turcorum semper perfida turba fuit.
 Viuit et hic populus Maomethis lege
 nephanda,
 Gens Alcorano credit et ipsa suo.
 Est tamen huic generi fas ille uel ille cupido,
 Fas Veneris crimen, fas Ganymedis
 amor.
 Lex uetat his semper feruentis pocula Bacchi,
 Saepe tamen uino turba sepulta iacet.
 Lex data, ne porcis utatur turba prophanis,
 Foedior est porcis Turchia turba
 tamen.
 Dedita perpetuo et sceuo gens dedita bello,
 Vnica spes ferrum, parmula, cuspis,
 equus.
 Gens inimica sacras ardescit perdere leges,
 Quas deus electis fixit in orbe suis.
 Conqueror, antiquam uicit Bizantion urbem,
 Foedauit Graiam sanguine Turcus
 humum.
 Lesboas Turcus superauit perfidus arces,
 Plurima sub diro continet arua iugo.

Nuper et innumeram conflauerat equore
 classem,
 Qualem non Xerxes duxerat in Danaos.
 Pugnavit bombis et muros Aulidis altos
 Fregit et in tota profluit urbe cruor.
 Dicere si uellem, quot uicit regna, quot urbes,
 Deficeret carmen deficerentque dies.
 Turcus adest patrie, patrios populetur ut agros,
 Et Sibenicas frangere pergit opes.
 Cernebam Turcos alta de turre furentes
 In patrios iuuenes in patriosque uiros.
 Certe ego ueloces cursus mirabar equorum
 Hastarumque minas barbaricumque
 dolum
 Motaque per uarios uexilla rubentia uentos
 Saepius et uidi candida signa trahi.
 Pulchra iuuenta furens scutum portabat et
 ensem
 Pro patria pugnans pro domibusque
 suis.
 Currebatque simul cum fundis rustica pubes
 Praestoque cum tellis aduena miles
 erat.
 Pugnant patrii, dirus pugnabat et hostis,
 Plurima sunt Turcis uulnera fixa uiris.
 Ter conatus erat nostras inuadere turmas,
 Ter nostris Turcus Martia terga dedit.
 Ad sua festinat compulsus uerbere castra
 Noster ager Turco milite plenus erat.
 Impius ille furens uillas dedit ignibus omnes
 In cinerem uersa est rustica tota
 domus.
 Aruaque cum teneris alte surgentia spicis

Ieiunis potuit iam dare Turcus equis.
 Totaque cum folio florentis uinea Bacchi
 Esca fuit capto maxima facta gregi.
 Vulcanoque datur preclare Palladis arbor,
 Vel facit umbrosas cesa Minerua
 domos.
 Protinus et capiunt multos iuuenesque
 senesque,
 Captaque cum natis uillica multa fuit.
 Verbera uel patitur captus uel uincula suffert,
 Captaque sed Venerem passa iuuenta
 fuit.
 Nec dubitant alii diuum foedare figuras,
 Hei mihi, nec sacre numina fixa cruci.
 Numine nec uero panem timuere sacratum,
 Sunt data fumosis denique templa
 focis.
 Carmine quo flebo? Faciam quid, patria dulcis?
 Quidue miser faciam, tuque sacrata
 fides?
 Est mea mens tanto nimium, queror, egra
 dolore,
 Rumpuntur fletu pectora nostra graui.
 Cogor Apollineum uates deponere plectrum
 Et gladium nostra stringere posse
 manu.
 Consultus ponam numerosa uolumina iuris
 Et clypeum capiam Marte fauente
 mihi.
 Pro te, sacra fides, et, dulcis patria, pro te
 Sit mea barbaricis dedita uita uiris!
 Pro te me uoueo, pro te mea pectora trado
 Et morior pro te uulnera sceua ferens.

Georgius Sisgoreus

Ad Virginem

Tanta se ueteres non iactant uirgine uates,
Quanta ego, deliciae uirgo serena mee.
Tu, mea Callyope, des nostro in carmine uires,
Dedico dum carmen, dum tibi, uirgo, meum.
Perfoelix esset, si te nouisset Homerus,
Qui cecinit placidis plurima ficta iocis.
Te caneret solam, soli tibi carmina libans
Te solam, uirgo, crederet esse deam.
Tu pia, tu clemens, tu quam castissima uirgo,
Tu decus eternum, tu mea, uirgo, salus.
Et tua, uirgo, deum portarunt uiscera summum,
Quem mare, quem tellus sydera quaque colunt,
Virgo, malam remoue nostro de pectore labem
Et faueas Musis carminibusque meis.

Georgius Sisgoreus

De situ Illyriae et civitate Sibenici

100.17 De moribus quibusdam Sibenici

Mores habent ultra leges nostri cives quosdam peculiare et quosdam peregrinos, quos a finitimis imbibebunt. Siquidem proverbii Illyricis utuntur, quae nos dicteria diximus et ex lingua vernacula in Latinum vertimus cum Iacobo Naupleo, viro docto et disertio. Illis namque nec leges Solonis nec Numae Pompilii excogitationes nec ipsa Pictagorica praecepta videntur acutiora.

Mulieres praeterea in funerum luctibus reboant nenas constantium animos virorum percutientes et ad lachrymam excitantes, ferventiores quidem fletibus Thetidis et matris Euriali, quos in filiorum perditionibus barbaro ululatu emittebant. Et in nuptiarum die choreas ducentes quaedam cantant epithalamia, qualia nec Catullus nec Claudianus cecinisse fuit auditus. Petulans deinde iuventus cupidinibusque capta voce valens amatorium carmen tale noctu decantat, quale vix cultus Tibullus aut blandus Propertius aut lascivus Lichoridis Gallus aut Lesbya Sappho decantaret. Et molam vertentes pro conficiendo oleo meditantur eglogas alternas dicesque Dametam et Menalcam coram Palemone modulari.

Pro modo praeterea cantilenae in choreis terram feriunt. Quam rem describens Galeottus li° De homine sic loquitur: Apud Sclavinos nunc in usu est modus ille antiquorum. Nam cum staticulos in chorea fecerunt, omnes uno eodemque tempore terram pede pulsant. Cuius saltationis meminit Horatius *Alterno terram quatiant pede*. Horatius I. carm.

Haec ille. Et miror, qua ratione Galeottus Illyricos dixerit Sclavinos, cum accolae Savi fluminis in Illyrico Savini dici debeant. Nec satisfecit Galeottus Georgio Merulae id obicenti. Me, inquit, vocas audacem, quod Sclavinos pro Dalmatis vel Liburnis dixerim: rideo aeternumque ridebo tui hebetudinem. Nescis, Georgi, Sclavinos ex Scythia venisse et haec loca occupasse. Hactenus Galeottus contra Merulam, quod minime est cordi.

Et, ut in Saturnalibus Romanorum pueri nucibus et viri alea ludebant xeniaque ferebant et apophoreta referebant, sic moris est in civitate Sibenici celeberrimo Natalis Domini festo, eo quidem mense, quo illi inter Saturnalia, nostri intra Christi Natalia, dempto errore gentilitatis, servare. Quocirca Seneca ad Lucilium scribit: December, inquit, mensis, cum maxime civitas sudat. Ingenti apparatu sonant omnia. Die namque Natalis sollemnissima festo favens alter in alterius concurrat oscula tamquam obsides pacis salutis tempus advenisse nuncians et pacis auctorem, cuius multum desyderabat universa terra cuiusque pulchritudinem sol et luna mirantur.

Ianus Pannonius

Epigrammata et elegiae

De carminibus suis

Accipitrum et leporum si te repetita fatigat

Fabella, Hispani respice vatis opus.

Invenies illic, toto quam saepe libello,

Velox Marmarico, ludat in ore lepus.

De se ipso

Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad
altum,

Perlege et haec, si quis cetera forte legis.

E Graeco

Nudus humum scandi, nudus terrae ima
subibo,

Quid frustra afflictor, nuda suprema videns?

De immutatione sui nominis

Joannes fueram, Janum quem pagina dicit,

Admonitum ne te, lector amice, neges.

Non ego per fastum sprevi tam nobile nomen,

Quo nullum toto clarius orbe sonat.

Compulit invitum mutare vocabula, cum me

Lavit in Aonio, flava Thalia, lacu.

Ad libros suos

Vos, Ovidi, Lucane, Maro, si forte potestis,

Mutua praestetis bis mihi, quaeso, decem.

Cessatis? iam vos Saxo Iudaeus habebit,

Qui servat magnae, lintea iuncta, viae.

Istic ignavi tineas et pascite mures,

Nil opus est vestris nunc mihi carminibus.

Nunc mihi opus numis; quarto vos mense
videbo,

Venerit interea si quid ab Hungaria.

In Iudaeum foeneratorem

Lucanum et iuncto pariter Nasone, Maronem,

Redde mihi Iuda, seu mage tu Salomon.

Quid dubitas? ego tres olim tibi nempe
libellos,

Inspice si Iani chartula nomen habet.

Quis modus usurae? sortem, inquis, foenus
adaequat.

Si verum dicis, perfide, non redimo,

Hic pereant; tanti vix illos auctio vendet;

Insanit suamet pignora quisquis emit.

Laus Pannoniae

Quae legerent omnes, quondam dabat Itala
tellus,

Nunc e Pannonia carmina missa legit.

Magna quidem nobis haec gloria; sed tibi
maior,

Nobilis ingenio, patria facta, meo.

De Sclavinia

Pars ea Pannoniae, quae nunc Sclavinia fertur,

Pagos complures, oppida rara gerit.

Ad Guarinum Veronensem

Te precor, o nostri, decus et nova gloria, saeculi,

Qui calles linguas, docte Guarine, duas,

Quo iam tot fuimus sub praeceptore per annos;
Hospes ut in cena nunc meus esse velis.
Quam dedit Evandro laudem Tiryntius
hospes,
Hanc dabis ipse mihi, si meus hospes eris.

Ad Ioannem archiepiscopum Strigoniensem

Quo tibi tot duros et luce et nocte labores,
O nunquam curis non agitate pater?
Hoc ave Caucasia est sine fine Promethea rodi,
Hoc fulcire humeris semper Atlanta polum.
Tamne iuvat nulla mentem requiete remitti,
Sic leve continuis insenuisse malis?
Nil est in terris, quod non aerumna fatiget,
Nec tua perpetuo membra adamante rigent.
Trux quondam Alcides, vagus et requievit
Ulixes,
Credimus et dominum saepe vacare Iovem.
Si sapis, ex aliqua, tuus esto, parte, nec
unquam
Sic aliis vivas, ut tibimet pereas.

De tectis per Ioannem archiepiscopum Strigoniensem instauratis

In cathedra Petri Paulo residente Secundo,
Tertius imperium dum Fridericus habet,
Haec instauravit Ioannes tecta Sacerdos,
Funditus obruerat quae prius ignis edax.
Pro quibus officiis aeternum vivat Olympo,

Sed postquam in terris vixerit ille diu.

Ad Iustinam

Mel, Iustina, meum, mea cara sororcula, quare
Missa remisisti, munera nostra, tibi?
Non ideo misi, quo te corrumpere vellem,
Sit procul a nobis hic, mea vita, furor.
Sed magis ut scires, quam te devotus amarem,
Vult aliquo nosci pignore castus amor.
Qualiter offensam valeas pensare, requiris?
Tu mihi fac mittas, ut nec ego accipiam.

De se quod amare coepisset

Quod mihi divino tu saepius ore solebas
Dicere, nunc, Michael, exitus ecce probat.
Haesimus, et totis concepimus ossibus ignem.
Concidit et tandem spiritus ille meus.
Cum te dementem dementia nostra vocabat,
Cum mox ridendo tu mihi risus eras.
Quare in amore rudi, doctissimus ipse, sodali,
Consilium, quaeso, confer et auxilium.

In superflua quaeritantem

Hoc unum semper quaeris: superetne
Maronem
Tullius? an maior sit Cicerone Maro?
Nescio; verum illud belle scio, quod tibi
nunquam
Est visus, Procopi, nec Maro, nec Cicero.

Georgius Benignus

Oratio funebris habita pro magnifico et generoso senatore Iunio Geor. Patritio Rhag. In aede divi Francisci. XIII. Cal. Martias. MCCCCLXXXVIII.

Admirabili divinae artis opificio si diligenter animo revolvere voluerimus, ipsum hominem esse conditum inveniemus, Rector excelse, P. optimi senatoresque amplis., cui parens ille deus corpus terrenum (id enim elementum in eo praecipue viget et dominatur), animum autem caelestem omni mole carentem indidit, ima summis, terrenis plusquam caelestia, caducis immortalia miro nexu copulavit summaque amicitia atque mutua benivolentia coniunxit. Nam et si animus tanquam caeligena quidam superas ac sydereas suapte natura exoptet domos, et stellifera, immo et sublimiora atque immobilia illa (cuncta nanque quae moventur sub immobili clauduntur corpore) percupiat tecta, tanto tamen benivolentiae vinculo huic terrestri nequitur corpori ut extra illud esse omnino abhorreat, in illo permanere manibus pedibusque nitatur, tugurium hoc satis vile aulae regiae anteponat, atque (caeteris paribus) isto in fragili corpore quam in caelis habitare malit suaviusque illi foret summo perfrui bono non separatam quam etiam caelos incolentem potiri deo a corpore seiunctum. O miram oppositorum amicitiam! o certo ingentem atque omnibus paene abditam divini operis virtutem! non enim iam pares cum paribus veteri proverbio congregantur, non simile, sed contrarium et dissimile, natura contra naturam, expeti videntur. Enim vero unde ipsi animo qui spiritus purus est tanta cum corpore familiaritas? unde tam dulcis societas? unde tam suave contubernium? accedite et si audire lubet huiusce rei causam me vobis hodie aperiente accipite. Locus et pars quod sint quove pacto sese respiciant cum multarum rerum periculo tum ipso loquendi modo didicistis. Novi vos non negaturos sed concessuros apertissime parti unicuique tum melius esse quum suo toti iuncta fuerit illudque constituerit; naturalia nempe munera quum adsunt et habentur oblectant, quum vero absunt maerore afficiunt. Nihil autem parti, praesertim ei quam phisicam appellamus, quam alteram perficere vel ab altera perfici parte antiquius est: expetit forma natura ipsa duce non minus iungi materiei quam materies formae; et si enim illa det (ut aiunt) esse, materia vero suscipiat, non tamen minus expetit forma tribuere quam materia excipere. Quod si quis vir liberalis aut magnificus consideraverit, in se ipso verum esse agnoscet; avide nanque is tribuit cum maestitia suscipit. Audite mirabilis quemadmodum viro magnifico suavius est dare quam illi cui confert accipere: sic nimirum dulcius est ipsi animo vitam corpori tribuere quam corpori eam recipere. Beatius enim est dare ac excellentius quam excipere: quo autem munera excelentiora fuerint, eo avidius expetuntur; quo ut non minus animus iungi corpori quam corpus animo expetere sit autumandus exactior atque perfectior futurus quum et vitam corporis tribuet et in suo extiterit toto illudque constituerit. Quorsum haec? ut

agnoscatis animos nostros non esse his in corporibus veluti nautas in naviculis ut plerique Platonicorum existimavere; nam ipsos esse quosdam eudemonas aut Lares vel laruas lemures aut genios; neque esse angelos illos (ut nonnulli finxere) qui in grandi illo Michaelis cum dracone conflictu neutri parti adhaeserint, sed quasi indifferentes perstiterint, eamque ob rem in haec corpora detrusos quo utram partem sequi decreverint examinarentur et ita vel cum malis poenas luerent vel cum bonis perfruerentur aeternis; opinio delira certe atque explosa hominum inimicos quae animos autumat esse. Nil enim est tam rationi contrarium quam angelos detrudi vique persistere in loco aliquo; hi quoque nesciunt contra deum esse qui non sit cum deo et illum qui ei non adhaeret seiungi et odio habere qui aperto amore non prosequitur; non sunt itaque animi nostri daemones aut angeli ulli, sed species hoc est formae et actus vel, ut Aristotelico utar vocabulo, corporum humanorum endelechia. Non est quoque animus humanus natura integra ut daemon seu angelus, sed humanae naturae pars nobilior et forma corporis. Quorsum iterum haec? quo non putaretis animum eo modo esse in corpore sicuti in compede aut ergastulo, ita ut quum e corpore discedit veluti e custodia quadam atque vinculis evolet. Eo namque concesso vi, non natura, corpori iungeretur et solutus libenter, tanquam liber factus, abiret atque in id redditum abhorreret, neque forma corporis esset, neque pars totius naturae humanae est; tamen fateor aliqua ex parte animo haec nostra caro compar et carcer quia pater rex statu (peccato primi parentis destituto necdum pleno restituto) ipsum premit suoque pondere gravat. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, ea tamen dare eorum mutua amicitia quam ipsa natura conciliavit et peperit sublata ivisse non censenda est; adventitia quippe non praeiudicant naturalibus. Quorsus tertio illa induximus? quo certiores vos redderem animum extra vi persistere; ex quo enim est forma corporis, illi coniecti iterum semper natura cupit; cupidinem autem naturae vacuam nostis esse omnino non posse tritumque id vobis esse nullum violentum perpetuum fore. Ex quibus quid sequatur novi vos iam accepisse: redibit profecto iterum animus corporique iungetur, vel violentum erit perpetuum et naturae desideria erunt vana. Quod si haec posteriora impossibilia ducitis, illud certo tanquam necessarium, ut pueri, opus est et haec ratio animorum immortalitate et naturae cupidine, quae non potuit supervacue ab illo (qui nihil agit frustra) infundi, et concessa animos esse corporis formas concludi et perorari evidentem, atque necessario manifestum est. Et quum tanta sit probatio: et convenientia inter corpus et animum ut idem aliud vivificare quam suum corpus nequeat, quid restat nisi ut denuo illud corpus ita raperetur quo ipsi animo fiat idoneum domicilium, quo, inquam, ab eodem apte vivificari possit? Qui tandem eveniet? erit iterum idem homo integer; vivet aevo perpetuo; totus erit immortalis ita ut iam nullo modo mori: neque, sit hic praecesserint merita, quicquam sinistri pati possit et in corpore tam dilecto constitutus videbit regem suum in decore suo, oculo quidem mentis divinitatem, carneo autem Christi humanitatem intuebitur. Nunquam senio, nunquam morbo, nunquam afficietur vel parvulo dolore. Fugiet mors, abstergentur

lacrimae, non erit luctus. Priora enim haec et huiusce miserabilis vitae conditiones, posteriora sunt gaudia exultationes tripudia.

Marcus Marulus

De institutione bene beateque vivendi

4.4 De veritate colenda mendacioque fugiendo

Hactenus de obedientia, nunc de ueritatis obseruatione nobis sermo erit. Quę virtus cum omnibus conuenit, tum p̄cipue religiosis. Alioquin, quomodo Christi serui dicerentur, qui ueritas est, si mendaciis animum applicarent? Aut quomodo Deo placere possent, si diaboli opera ęmularentur? Ille homicida erat ab initio et in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater eius.

Vetus Testamentum summos ueri cultores habuit prophetas, qui quidem pro eo asserendo uite periculum adire non formidabant.

Vir Del ille in Bethel nequaquam ueritus est Hieroboam regis p̄sentiam, ut prophetaret aduersus sacerdotes excelsorum ab ipso constitutos. Rex uero ira percitus protenta manu prophetantem comprehendi iubebat. Et manus, quam protenderat, aruit, ita ut, quem ulcisci uoluerat, continuo eundem pro instauranda manu supplex rogaret. Vsque adeo is, qui uera p̄dicere ausus fuerat, ipso etiam rege tunc maior fuit: lędi non potuit, lęsum sanauit.

Micheas quoque propheta, cum de belli euentu, quod Achab et Iosaphat reges contra Syrię regem parabant consuleretur, nihil ad gratiam est locutus. P̄dixit Israhelitici exercitus fugam et Achab regis necem, ipso audiente ac pseudopropheta e diuerso prospera omnia pollicentibus. Sed quoniam malis inimica est ueritas, a Sedechia in maxillam percutitur, ab Achab in carcerem truditur. Cum autem euenissent, quę p̄dixerat, mendacium interiit, ueritas mansit et qui uera uaticinanti manus intulerant, ab aduersariis cęsi poenas dedere, ipse uinculis liberatus est.

Zacharias, Ioiadę sacerdotis filius, ueritate, id est, Dei spiritu imbutus non dubitauit Ioam, regem Iuda, palam arguere, quod patrię ritu relicto ad idolorum cultum conuersus fuisset. Prophetantem in atrio domus Domini lapidibus obruerunt. At uero Deo innocentis necem ulciscente ingentes illorum copię a paucis Syris prostratę sunt, Ioas a seruis interfectus. Qui autem pro ueritate mori non timuit, uite ęternę p̄mia recepit.

Quoniam uero os, quod mentitur, occidit animam, iccirco Ananias, Azur Gabaonitę filius, mendaciter prophetans per Hieremiam arguitur deuoueturque. Quia prophetasti — inquit — et non misit te Dominus, hoc anno morieris. Et eo ipso anno mendacium morte diluit.

At etiam Hieremiam in Aegypto lapidatum dicit aliquis, licet uera annunciaret. Cui breuiter respondebimus: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum, mors autem peccatorum pessima. Ideo iustos occidi permittit Dominus, ut beatificet; ideo malos, ut damnet.

Multi præterea ex prophetis extrema pati quam uera reticere præoptarunt, cum ob hoc a Deo dirigerentur, ut regum populorumque uitia corripere et eis poenas denuntiarent. Esaias in duas partes sectus est, Hieremias lapidibus obrutus, Amos recte per tempora transfixus. Alii etiam sancti homines — fateor — talia passi sunt, sed de morte transierunt ad uitam, de laboribus ad quietem. O præoptanda supplicia, per quæ beatitudinis cumulus augeatur et quorum patientia Deo nos efficit chariores!

Nequis tamen ad solos prophetas ueri obseruationem spectare arbitretur, Achior, Ammonitarum ductor, ab Olopherne Bethuliam obsidente de Iudeorum uirtute interrogatus, quod sentiebat, non dissimulauit, asserens inexpugnabiles esse Deo ipsorum cum ipsis stante, nisi quando eo relicto ad deos alienos declinassent. Ob hoc uinctus in Bethuliam mittitur, ut simul cum illis, contra quos bellum erat, captus puniatur. Sed longe secus quam ueritatis persecutores crediderant, euenit. Olophernes, qui nihil armis suis resistere posse gloriabatur, foeminę manu interimitur, reliqui fugam petunt. Achior uero uitę periculum euadens, nequid in se gentilitię falsitatis resideret, etiam circumcisionem accepit. Qui ergo pro ueritate steterat, salutem, qui contra nitebatur, necem et nece grauiorem ignominiam et utroque acerbiora gehennę supplicia est consecutus.

Post prophetas fidissimi ueri assertores extitere apostoli martyresque et reliqui, qui eos imitati aut docendo aut reprehendendo, aut prædicando nunquam quicquam locuti sunt uel metu uel odio uel gratia. Contempserunt potentum minas, deriserunt tyrannorum supplicia, mortem ipsam subire non recusarunt, dum pro ueritate starent, soli illi semper placere studentes, qui ait: Ego sum uia, ueritas et uita. Hinc quidem multos leuissimi etiam mendacii culpam sedulo cauisse accepimus. (...)

5.1 De nemine temere iudicando

Sed plerique aliena nimis auide iudicantes ipsi errore incauto in culpam labuntur, dum uel incerta pro certis affirmant uel, si certa sunt, iudicare ad eos non pertineat uel, si pertinet, occulta pro manifestis iudicent uel, etiam si manifesta sunt, quo animo fiant, ignorent et ueluti male facta persequantur. Huiuscemodi autem iudicia, quoniam temeraria sunt, a Domino prohibentur dicente: Nolite iudicare, et non iudicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini! In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Igitur hoc loco colligere exempla decreui, quibus instructi circumspectiores esse poterimus ad noxam hanc deuitandam Deoque obediendum, nequis in alterum, quomodo non licet, sententiam proferendo seipsum damnet.

Aaron et Maria Moysen probro iactauerant ob uxorem eius, ut ait Scriptura, Aethiopissam. Et quę tam audacis petulantię caput et causa fuerat, in lepram incidit, ut corporis morbo mentis uitium puniretur, quoniam ab homine reprehendi non debuit, quem Deus suis colloquiis suaque familiaritate dignum iudicabat. Hinc discere licet, quanti periculi sit seculo seruientibus, ut quicquam sinistrum indecensue

sentiant de seruis Dei. Fit enim plerumque, ut, quod illi reprehendendum iudicant, apud Deum laudabile sit. Iccirco et Apostolus clamat dicens: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Et ne de cadente etiam desperemus, ait: Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.

Quod autem ad coniugatos spectat, quandiu adulterii crimen latet, suspicari fortasse licet, credere non licet. Et Veteri quidem Lege mulieris suspectę causam per sacrificium zelotypię uiro discutere permissum erat. Nunc nefas est accusare nisi deprehensam. Sed si deprehensam etiam lapidari uetuit Dominus, nisi ab eo, qui sine peccato esset, cum nemo sine peccato sit, uix dici potest, quam grauiter delinquant, qui suspectam ueluti deprehensam lapidant ictibus detractionis et infamię dentibus lacerant fortasse innocentem. Et profecto de iis, quę latent, qui iudicat, etiamsi euenerit, ut uerum iudicet, mentitur, dum se scire affirmat, quod nescit.

Qui Susannam accusauerant, falsitatis conuicti lapidibus obruti sunt, ipsa post mortis quoque sententiam absoluta. Quisquis igitur insontem sceleris alicuius insimulauerit, ab ipso Iudice, quem nihil omnino latere potest, tantidem condemnabitur, quanti damnari accusatus debuit, si deliquisset. Vnde mendacem testem talione punit Lex, ut, quantum poenę quis in proximum praua delatione molitus fuerit, tantum pro impietate ferat. Non miseraberis ei — inquit — sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges!

Ac ne facile delatoribus credamus aut rumoribus incertis ad iudicandum compellamur, diuina sancitum est lege: Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati et facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne uerbum. Contra Dei ergo legem agit, qui contra aliquem unius tantum uerbi fidem adhibet.

Sed manifestum quoque aliorum opus, quod ita bono ut malo animo agi potest, qualiter accipiendum sit, sequenti exemplo satis patebit.

Diuisa Promissionis terra uictisque hostibus Iosue duce et iam militię missione accepta tribus Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse de Sylo, ubi tabernaculum fixerant, ad Galaad, possessionem suam, quę ultra Iordanem erat, reuertentes in ripa fluminis citeriore altare construxerunt, ob hoc duntaxat, ut posteris fidem facerent se commeandi ius habere ad offerendum in Sylo, nequando separati reliquis tribubus sicuti possessione ita et religione uiderentur. At uero cęteri filii Israhel rati illud ad sacrificandum diis alienis ędificatum Dei sui iniuriam armis ulcisci parant. Mox ubi missa legatione ponendi altaris causam didicissent, probare factum coeperunt, quod incusauerant, et quos morte dignos iudicabant, laudibus extulerunt. Quod si rem paulo accuratius non inquisissent, falsa decepti opinione pios pro impiis trucidassent et non leuius crimen foret inconsultum iudicium quam ipsa, cui infensi erant, diuinę legis preuaricatio. Itaque semper magnopere cauendum est, nequid in aliis continue detestandum putemus, quod sub specie aliqua mali et bonum esse queat, ne propheticum

illud in nos retorqueri possit: Vē, qui dicitis malum bonum et bonum malum ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum! Semper quidem tutius est honesta potius quam turpia de ambiguis coniectari. (...)

Marcus Marulus

Carmina

De laudibus diui Hieronymi carmen

Delmatię lętis olim generatus in oris
 Hieronymus toto notus in orbe fuit.
 Inter Catholicos unus facundior omnes, Iudice
 me, magno nec Cicerone minor. Cecropia
 doctus lingua doctusque Latina,
 Hebraicos didicit Chaldaicosque sonos. Felix
 tam uarię donis donate loquellę,
 Ingenio multum, nec minus arte ualens!
 Te Scripturarum castigatore recessit
 Omnis ab utroque menda fugata libro.
 Te monstrante patent sensus et enigmata
 atum,
 Iam licet obscuris nil titubare locis:
 Sic sole infuso tenebras uanescere noctis
 Cernimus et nubes flantibus etesiis.
 Te bellante piis uerterunt terga prophani,
 Perpetuus nostris hostibus hostis eras.
 Te duce, prostratis erroribus, alma triumphat
 Ecclesia et laudes concinit usque tuas.
 Tu nobis consulta, modos monitusque dedisti
 Per quos alta poli scandere ad astra datur. 20
 Nec tamen ista magis uerbis calamoque ocebas
 Quam uita et factis, uir memorande, tuis.
 Nam Latium linquens Syrię deserta petisti,
 Sacco membra tegens esurieque domans.
 Illa angusta specus muscoque uirentia saxa,
 Nudaque paupertas assiduusque labor,
 Cur sint, Roma, tuis tectis pręlata superbis,
 Cur tot diuitiis delitiisque tuis?

Noscere si cupias, rerum metire suprema, Et
 causam disces finis ab indicio.
 Ille etenim potuit qui talia spernere multa
 Contentus paruo, nunc bona summa capit.
 Nunc fruitur cęlo, sed quo quoque tempore
 erras
 Incoluit, mira dote beatus erat.
 Mentis enim leuibus transcendens ęthera
 pennis 35
 Non semel angelicos fertur adisse choros
 Et sanctos uidisse patres, uidisse sedentem
 Fulgentemque super culmina summa Deum;
 Sępe supernarum pastus dulcedine rerum
 Ieiunus totas perstitit hebdomadas;
 Illi terribiles se submisere leones
 Nec dedignati sunt sua iussa sequi.
 Nullus tunc domitor, uis nulla subegerat illos,
 Et caput imperio supposuere suo.
 Grande uiri meritum, cui grex quoque mutus
 honorem 45
 Pręstitit et sęuę quem coluere ferę.
 Grandius hoc tamen est: illius nomina diri
 Demones horrescunt effigiemque cauent;
 Illi uota homines persoluunt sępe periclis,
 Sępe graui erepti protinus exitio.
 Ossa uiri, Solymis defuncti, Roma recepit:
 Illius meritis hoc quoque credo datum.
 Christus nanque mori Solymis elegit et idem
 Ecclesię Romam pręstitit esse caput.

Marcus Marulus

Quinquaginta parabolae

De fide Christiana

Erant puellae tres, quarum nomina haec: Veritas, Dubietas, Falsitas. His occurrens homo quaesiuit uti sibi iter ostenderent Hierosolymam uersus pergere uolenti, ne ignarus erraret. Veritas uiam, quae rectissima certissimaque erat, monstrauit, monens ut neque ad dexteram neque ad sinistram declinaret si deuiare nollet. Dubietas uero fronte paululum suspensa musitantibusque labellis ambigere se dixit an ita esset ut Veritas affirmabat. Falsitas autem ita esse omnino negauit aliumque longe diuersum tramitem indicabat. Homo nescius cui de tribus tam uarie sentientibus crederet, postquam rogando singularum nomina didicit, prudenter profecto soli Veritati fidem adhibendam esse iudicauit. Igitur iter ingressus eo, quo uolebat, peruenit.

Haec parabola fidei est. Qui Christo credunt, non errant, quia Christus ueritas est. Dubitare autem philosophorum est, qui nihil certi affirmant. Contraria uero sentire gentilium fuit, non unum deum sed plurimos confitentium atque colentium. Solus itaque recti uiam tenet qui ueritati, quae Christus est, credit. In Christum credendo ad caelestem Hierosolymam, quo ille ascendit, peruenitur. Ubi sum ego, inquit ille, et minister meus erit. Quomodo autem minister eius est qui uel dubitat uel non credit? Talis profecto infidelitatis minister est, non Christi.

De pace cum aliis et secum habenda

Fuit aliquando annus, in quo nihil aduersi, sed omnia laeta sensit humanum genus. Non grando uineta laesit, non rubigo frugibus nocuit, non reliquos fructus aliqua caeli intemperies uexauit. Suis temporibus fluxit imber uentique flauerunt. Ne in mari quidem quisquam ullius tempestatis passus est iniuriam. Prosperis nauigationibus usi nautae maria omnia laeti percurrerunt. Bella quoque per id tempus conquieuerant. In summa, aureum illud seculum a poetis decantatum tunc redisse nonnulli crediderunt.

Quid sibi uult istaec parabola? Quam rem tam felici anno comparabimus? Talis est profecto bonorum inter se hominum pax, talis mutuae concordiae tranquillitas, quam non turbat contentio, non inquietat lis, non diellit inuidia, non dissipat ira, non fallit malignae mentis callida simulatio, sed iungit consensus, ligat beneficium, mulcet comitas, sustentat simplicitas et uera sinceraque perpetuo fouet amicitia. Tu autem, qui cum altero habere non potes pacem, tecum habeto! Concordet in te cum ratione uoluntas, cum uoluntate conueniant opera, ut nihil omnino neque optes neque facias, quod Deo displicere possit. Sed quodcumque ille monuit, praecepit, iussit, hoc tu pro uiribus perficere cures.

Audi Prophetam dicentem: Pax multa diligentibus Legem Tuam, et non est illis scandalum. Hanc pacem si habueris, nihil triste senties, Apostolo testante, qui ait: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Itaque etiam illa, quae aduersa putantur, tibi proderunt.

De illo qui proponit monachum profiteri et cunctatur

Quidam quotidie iactanter praedicabat se nauim onerariam sibi fabricaturum daturumque operam mercaturae, ita ut speraret breui se imprimis diuitem fore. Multum in deliberando temporis consumpsit, dum alios consulit, cuius potissime opera in fabricanda naui uteretur, quibus in siluis aptiorem ad id materiam caederet, quantum ferri ad contignationem nexusque compagum satis esset, unde rudentes, unde uela essent comparanda. Denique, priusquam opus coeptum esset, perquisiuit, quis bonus gubernator, qui nautae praestantissimi haberentur. Cunque omnia didicisset -- uide hominis insaniam! -- nihil horum egit, quae proposuerat. Atque eodem ocio, quo talia tractabat, inutiliter consenuit. Neque peculium suum, ut promittere solebat, auxit, sed imminuit.

Tales profecto et illi sunt, qui iuxta Euangelium relinquere omnia et Christo seruire saepe decernunt, nunquam incipiunt. Quicquid sibi in religione seruandum sit, ante ediscunt, et cum se ad eam rem satis expedierint, semper restat aliquid, quod excusent, quo se impediri dicant. Hoc autem fit, quia semiplenam habent charitatem. Quam si perfectam haberent, nihil timerent. Charitas enim foras mittit timorem. Quid uereris, o homo, ne tibi uictus aut uestitus deficiat, si Deo seruiaris, et non uereris, si seruiaris mundo? Deseri ab illo formidas, qui uolucres quoque pascit et terrae flosculos uariis uestit coloribus, et in mundo, qui, nisi ab eodem sustentaretur, statim rueret, confidis? Quaerite, inquit, primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiciuntur uobis. Et tu tibi aliquid defuturum putas? Idem alibi ait: Tollite iugum meum super uos! Iugum enim meum suaue est, et onus meum leue. Quid ergo illo inuitante, illo hortante, qui solus potest omnia, iugum eius subire cunctaris, quid procrastinas? Nulla tanti est libertas, quanti seruitus Christi. In qua una certissima spes est felicitatis aeternae. Tu igitur, qui iam in limine uitae perfectioris pedem posuisti, uide, ne referas, sed audacter ingredere! Nemo Deo seruiuit, et deceptus est, nemo mundo, et non conquestus est.

De librorum secularium lectione

Bonus agricola maturis messibus cum aream repleuerat, totum simul aceruum uerberat atque contundit. Post haec paleas a frumento separans, hoc sibi colligit in horrea, illas pabulum iumentis relinquit.

Haud aliter agendum existimo litterarum studiosis, quoties uel gentilium uel nostrorum euoluerint libros. Quae inutilia sunt, respuant, quae uero bene uiuendi institutionem iuuare queant, excerptant. Non est uitium omnia legere, sed sine delectu omnibus delectari uitium est. Omnia probate, inquit

Apostolus, quod bonum est, tenete! Et Dominus in Euangelio zizania cum tritico colligere iubet, sed hoc usui seruare, illa igni urenda tradere.

De hora mortis incerta, ut semper parati simus

Imperator confecto bello, cum uictor in patriam remeasset, donatiuum militibus erogaturus edixit, quod, qua die in forum ipse descendisset, uenienti sibi omnes cum armis occurrerent: quod si quos inermes occurrere tunc contigisset, non solum nihil relatores esse praemii, uerum etiam inertiae poenas daturus. Illi incerti, quando imperator hoc esset acturus, quotidie cum armis parati aderant. Quidam autem expectationis tedio uicti, paulatim arma deponere et iam inermes in publicum procedere, existimantes non ita repente affuturum, quem praestolabantur. Cum ergo imperator die, qua non putabant, in forum improuisus affuisset, donauit omnes, quos offendit armatos, quos autem inermes reperit, mulctauit.

Haec ad omnes pertinet parabola. Omnibus enim ab imperatore caelesti praedictum est: Estote parati, quia, qua hora non putatis, Dominus uester uenturus est. Tunc uenit Dominus, cum morte sublatos suo nos tribunali sisti iubet. Si pietatis iustitiaeque armis instructos conspexerit, continuo beatitudinis praemiis donandos laetus excipiet. Sin autem animi bonis exutos uiderit, supplicio afficiendos iratus deputabit. Igitur, quoniam diem uitae nostrae ultimum nosse non possumus, hunc semper hodiernum esse existimemus. Talesque semper simus, quales in fine futuros esse cupimus. Quotidie quippe uigilandum nobis est, quibus praecipitur: Vigilate, quia nescitis diem neque horam!

Aelius Lampridius Cervinus

Carmina

2.6 Fratri Francisco pro poetica

Si quibus humanae cognata poetica menti
 Contigit, aethereis est sedibus insita seque
 Cęlitus esse probat, pariter mentisque suique
 Auctorem testata Deum, quis munera diuum
 Insimulet, Francisce? Quis arguat aetheris alti
 Particulam et caelo quicquid bacchamur ab
 alto?
 Quis rudis, ignarus, simplex, mysteria nescit
 Summo uestra polo manare et amoris inuri
 Corpus in humanum diuini uulnera? Quorum
 Franciscus ueram faciem monumentaque gestat
 Quae uolucer depinxit Amor; nam uulnere
 caeco
 Saucia mens pariter corpus consauciat ipsum
 Inque uicem patitur contagia corporis aegri.
 An, rogo, fatidicis mens est aliunde Sibyllis
 Praescia uenturi et priscis exorta prophetis?
 Aut alio uates de fonte uenire putandum est
 Et sacros animum mentemque haurire poetas?
 Nam si crimen erit cantare et pangere carmen,
 Cur Moses paeana canit per hyantia uictor
 Aequora transgressus, medio discrimine ponti
 Fissilis et sicco noua per diuortia limo
 Perque intercisis nudatum fluctibus isthmon?
 Cur, inquam, populi detracti e faucibus hostis
 Carmina uicinus persultat ouantia dulci
 Nectare tam facilis tentoria pascere Syon?
 Quis puer exultat per uasta incendia et inter
 Ludit anhelantes inadusto corpore flammis

Exarmatque ardore faces piceosque furores
 Temperat et iustos fornace absoluit alumnos
 Aethereum triplici modulantes carmine
 Regem?
 Quorum obmutescunt concentibus omnia
 miris
 Naulia, sambucae, nec uox interstrepit ulla,
 Aut interpellat pubem medio igne canoram,
 Non clangore tubae, non ausis hiscere bombis.
 Nam quid adulterii commissa piacula dicam,
 Caedis et adiectum facinus per carmina solui,
 Dauiticasque preces per iambos supplice cantu
 Currere? Quid tenero lasciuas pollice cordas
 Foemineasque faces et mystica uulnera regis
 Aut decantatos referam Salomonis amores?
 Caetera quid referam tot uatum oracula
 sacram
 E caelo spirare fidem per carmina? Vates
 Sic Hieremia canit recutitae immania gentis
 Portendi scelera et casus instare supremos
 Carnifici populo et longe uentura suorum
 Praeuenit excidia praesago et praecoce luctu.
 Non secus Emanuel, »Nobiscum numen«, et
 ipse
 Virginei partus praesagia uersibus edit,
 Aetheris et summi mysteria pandit Esaias
 Totque alii uates Superum responsa canoris
 Spirauere modis per amica poemata caelo.
 Ipsa etiam Genitrix, maris inscia, Voce marita
 Viscera casta grauis, Verbo desponsa iugali,
 Laetitiam prodit per carmina, quae sibi subter
 Pusio concaeptus caeci sinuamine dictat

Ventris et exultat materna per ora profari
 Anticipatque suos uagitus carmine dulci.
 Argumentosus dices fortasse: »Nec artem
 Culpo, sed artificem seu quisquis adulterat
 artem.«
 Nos etiam culpamus idem. Mihi peccat abusus
 Artificis pariter; neque enim, deluditur ullus
 Si medicus, medicina rea est. Damnanda
 uidetur
 Nec mihi religio iurataque regula si quis
 Delirat collega tuus pede deuia uarro
 Sectatus pronisque ruens ambagibus, ut fit,
 Mille ueneficia et magicas tentauerit artes.
 Contemplator aquas, sunt muneris omnia
 quarum,
 Vt persaepe ruant immane frementibus undis
 Dilluuioque suo segetes, armenta, colonos,
 Omnibus exitio confundant omnia passim;
 Non tamen iccirco nobis inamabilis unda est
 Singula cuius ope et potu recreantur amoeno.
 Ignotum brutis animantibus inque repertum
 Nonne uides ignem? Primus qui more ferarum
 Pallantem lustris hominem sociauit in unum,
 Primus inhumano detersit saecula uictu,
 Cuius opis studia et mores artesque magistrae,
 Paulatim hinc etiam felix opulentia nec non
 Tot bona fluxerunt, tot rerum commoda: seu
 quis
 Aedificat, terram seu uomere, classibus aequor
 Proscindit, frustra studio conatus inani
 Deficit ignis inops, flammaram immunis et
 expers.
 Qui tamen excoluit gentes hominemque
 poliuit,

Syluestrem et cultu uitam meliore refinxit
 Squallentesque situs aevi spoliauit inertis,
 Saepe uides docilem confundere sacra
 profanis,
 Urbibus et sanctis inferre incendia templis
 Sacrilegumque ignem uiolare altaria diuum
 Exitioque frui. Quod si tibi fabula mendax
 Quid Phaethontaeus tulerit flagrantior ignis,
 Saltem arsura docent supremis omnia flammis
 Fata quod exitium terris mundoque minantur.
 Non tamen inuisos ignes damnamus et usu
 Carnificem flammam nostro interdicimus;
 immo
 Nostra uiuit ope atque alimenta per arida
 gliscit
 Ardor et instaurat rediuuias fomite uires.
 Cum passim uideas elementum impune foueri,
 Nec fraudi aut uitio est, nisi si quis abutitur
 igne.
 Tu quoque, Cyrnaeas si forte poetica taxos
 Mella uides redolere, fauos nec protinus
 omnes
 Nec Siculum nectar damnabis et Attica mella.
 Quod si materies promiscua peccat, habenda
 Num rea Calliope est, hominum diuumque
 uoluptas?
 Num si Trinacrias, Acheloia monstra, uolucres
 Sirenasque truces fugitamus ut acre uenenum,
 Non minus et caeli nobis innoxia Siren
 Declinanda, melos aut suaue nouemplicis
 aethrae
 Nec dulces Musas et amabile carmen amemus?
 Cur igitur Christi Franciscus dogma secutus
 Vt moribundus olor supremo in funere fertur

Nescio quos cecinisse modos? Nanque ipse
 Redemptor
 Et mundi precium, propiora piacula Christus
 Discipulos inter cantatis praeuenit hymnis.
 Idem Opifex rerum, Sapientia summa, probare
 Cuncta iubet, meliora sequi. Quis grata recuset
 Propter apes mella? Aut pomaria stultus ob
 inter
 Currentem spinam Pestique rosaria damnet?
 Nonne maritali cernis cum compare dulci
 Tristia et alternare uices per mutua? Verum,
 Lydius ut lapis, hoc ratio discernit ab illo,
 Atque subaeratum puro discriminat auro.
 Deprauari igitur quid mirum singula nec non
 In Chaos antiquum rursus confusa reuerti,
 Si non delectus melioris et optio fiat?

7.8 Hymnus in Archangelum Gabrielem

Christe, cui praepes Gabriel ministrat,
 Pulcher et fortis, Tua Virgo Mater
 Cuius aspectum stupuit micare
 Fulguris instar,
 Virginem castam genialis auspex
 Dum maritali sociat pudenter
 Voce caelestemque hymenaea cantat
 Pronuba lingua,
 Mox ubi uenter tumuit pudicus,

Virginis seruat decus integellum,
 Casta quo mater famulante mansit
 Vindice casto.
 Ergo sit quamuis numerandus omnes
 Angelos inter iubar ut secundum,
 Vindicat primum decus hic tuendae
 Virginis almae.
 Notus in caelo angelus et Geennae
 Horror, adsertis metuendus astris,
 Acer et belli furialis ultor,
 Qui prope fulget
 Ordinem primum, Michaelis arma
 Principis iuxta, uiget et Tuorum
 Militum non ultimus et decorus
 Laude secunda.
 Pro Tua felix pietate uictor,
 Qui Tui laetus meminit triumphi
 Teque uictorem cecinisse ouanti
 Carmine gaudet.
 Saepius nobis, precor, hunc recursu
 Nuntium salutigero remittas,
 Nostra ut accessu propiore semper
 Vota secundet;
 Sit Tibi laus ingenito parenti,
 Sit coequali genitoque Christo,
 Sit Tibi compar utriusque semper,
 Spiritus almae!

Damianus Benessa

Ad amorem

Huc ades plena calamis pharetra,
Et puer tenso minabundus arcu:
Praeda stat campo tibi rara, prome
Missile telum!

Non vides, quali speciosa vultu
Inter aequales socias refulget,
Grande discrimen speciosa ponens
Zanna puellis?

Qualis aut fulvo religatur auro
Gemma, seu verno rosa spirat horto,
Dum recens rupto pudibunda frontem
Protulit ore.

Quidquid armorum tibi nunc repostum est,
Huc celer flammam simul et sagittas
Advoca: pugna fueris beatus
Victor ab una!

Colla si victae dederis catenis,
Et iugo mecum subigatur uni,
Pinguis ornatas adolebit aras
Victima taurus.

Amplius festa statuam choreas,
Luce constringens hedera capillos,
Et novum septem resonabo chordis
Pectine carmen.

Aureus nobis referetur ales,

Alma propago Veneris marinae,
Qui potens terras, Erebum deosque
Vincere solus.

O diem nobis niveumque et illos
Candidos nexus, quibus attinebor!
Meque, cum cernam, prope ter beatum,
Ora puellae!

Ludovicus Cervarius Tubero

Commentarii de temporibus suis

Rhacusani ad Vuladislauum regem legatos expediunt; Rhacusanae urbis origo et fata recensentur.

Iam Vuladislauus uidebatur apud Hungaros aliqua ex parte regiam assecutus esse maiestatem. Itaque multae exterae nationes aut renouandae ueteris amicitiae gratia, aut nouae instituendae ad eum mittunt oratores. Igitur Rhacusana ciuitas, uetus et fida Hungarici regni socia, postea quam per pacatum magna ex parte Pannoniae agrum, per quem ex Dalmatia Budam uersus erat pergendum, iter tutius quam antea esse accaepit, haud oblita officii sui misit cum donis ad Vuladislauum legatos, qui ei de regno Vngariae ad se delato gratularentur, amicitiamque cum eo instaurarent, atque antiquas societatis leges, interposita eius auctoritate, confirmari peterent. Rhacusani a rege comiter excepti, omnibusque quae postulauerant impetratis, munifice insuper donati ad suos remissi sunt.

Caeterum, Rhacusanae ciuitatis admonitus mentione, quae quidem ciuitas Dalmatici nominis hac tempestate longe opulentissima est, aliquantisper a suscepto excedam negotio, repetamque eius urbis primordia, et quemadmodum ea tandem, una cum reliqua Dalmatia, in Hungarorum regum concesserit ditionem aperiam. Nec equidem aut fabulas ab aliis confictas sequar, aut ipse nouas componam, per studium huius urbis clariore origine nobilitandae — quum nulla prorsus ciuitati a re militari abhorrenti solique mercaturae deditae dari possit nobilitas — uerum omnia uel ex uero hausta, uel quam simillima ueri in medium proferam, sequens imprimis Docleatem authorem, qui incolumi adhuc Doclea, nobili Dalmatiae urbe, Slouinorum res excidiumque Epidauri, et originem Rhacusanae urbis commemorauit. Quae quidem scripta, licet essent uetustissima specie, quum ad manus meas peruenere, non tamen adeo multorum annorum tabe corrupta erant, ut legi non possent. Sed neque hanc digressionem nimis alienam existimari uelim, quum res Rhacusanae cum Hungaris, utpote ueteribus sociis, haud absurde possint coniungi.

Memoriae proditum est Sarracenos, Arabicam gentem, quondam ex Sicilia, quam armis magna ex parte iam occuparant, ingenti classe ad litora Dalmatiae praedandi studio delatos, urbemque Epidaurum, Slouinorum armis iam fractam, ui coepisse, ferroque atque igni funditus euertisse, ciuibus subito atque improuiso malo perculsis, dum Epidaurii Slouinum terra oppugnantem uix sustinentes noui insuper hostis insperato aduentu terrentur, nec, Slouinis eodem tempore terra, Sarracenis mari urbem agredientibus, resistere queunt. Post Epidauri excidium, Sarraceno multis cladibus reliquae quoque Dalmatiae illatis Hadriaticum relinquente sinum, Epidaurii ciues, qui forte aut mercaturis, ut fit, rem quaerendo a domo tunc abfuerant, aut fuga inter tumultum elapsi hostiles uitauerant manus, ad instaurandam patriam sese conuertunt. Verum a Slouinis, regionum accolis,

Transistrana gente, non solum id facere prohibiti, sed etiam in seruitutem pene redacti sunt, dum barbari et per se Epidauriis infesti tantae cladis reliquias, ueluti naufragia quaedam a fortuna obiecta, sibi uendicare nituntur. Tandem cum sacerdotis cuiusdam Epidaurii, cuius nomen non traditur, praecibus, qui et ipse patrio forte superfuerat excidio (coeperant enim iam Slauini quoque, licet nondum sacris nostris initiati, Christianam admirari religionem ob illius seculi sanctitatem: nempe illis temporibus Christiani sacerdotes cultui diuino summopere dediti erant, uitaeque eorum et mores consummati omnes gentes ad religionem suscipiendam maxime alliciebant), tum per pactionem pendendi annui tributi a seruitute liberati, Burnum, oppidum Epidaurii agri a Slouinis aliquot ante annis deletum, ipsorum Slouinorum permissu incolere coeperunt. Dumque consuetae libertatis amore tenentur, quoad per accolas barbaros licebat, reficiendae urbi dant operam, formamque ac speciem reipublicae Epidauriae pro praesenti restituunt fortuna, haud sane obliti afflictis in rebus Romani ingenii. Quandoquidem Epidaurus, teste Plinio, atque eo authore, qui libros aliquot Gaii Caesaris Commentariis contexuit, Romana fuit colonia.

Aliquot deinde post annis Polimirus cognomento Belus, materno genere Romanus, paterno uero Rhathislai Bossinatium quondam regis pronepos, qui a filio Gothislauo regno pulsus Romam sese exulatum contulerat, in Illyricum studio auiti regni recuperandi est profectus. Iam enim Gothislai successoribus merito, ob eius in parentes impietatem, extinctis, duces singulis praepositi prouinciis Illyricum regio fere obtinebant imperio, nec tamen his imperandi cupido, quae humanas mentes plerumque in omne scelus praecipites agit, obstabat, quin literis ac legationibus Polimirum hortarentur, uti regnum ad se iure gentium spectans reciperet, rati nec e reipublica esse regnum a pluribus administrari, nec fas esse quemquam in regem assumi, nisi regio sanguine ortum. Igitur Polimirus, postea quam in Dalmatiam nauibus appulit in portu qui tredecim circiter stadiis ab urbe Rhacusa abest — incolae Grauosium a regionis, quae portui adiacet, asperitate nuncupant — se suosque exponit, quos inter Romanici quidam seu Romae nati, ex Illyrico tamen oriundi, fuere apud suos satis honesti, quorum quidem maiores una cum Rhathislauo patria extorres Romam sese recaeperant, atque studio antiquae patriae repetendae, una cum liberis ac coniugibus, Belum in Illyricum proficiscentem sunt secuti. Eo loci a Ioanne, Tribuliensium pontifice, regnique principibus, qui officii gratia obuiam nouo regi frequentes progressi erant, loetis animis summoque honore est excoeptus, atque in oppidum Tribulium, quod sane ea tempestate, pro captu Illyrico, satis erat opulentum, deductus, quo ibi insignibus imperii de more acceptis regnum iniret. Hinc enim Bossinatium reges, qui eam Dalmatiae partem obtinebant, imperium auspicabantur, et fortunae suae insignia tunc accipiebant.

Porro Bossinates, Thracum Bossorum soboles, olim Thracia a Bulgaris pulsus eas regiones Illyrici insederunt, quae Sauo, Valdano, Drino amnibus et mari Adriatico, qua Dalmatiae pretenditur,

continentur. Slouini enim, Bulgaris Thraciam ac Macedoniam inuadentibus, ultra Sauum sese recaeperant. Nam Dalmatae, Bulgarorum uiribus ac nomine adiuti, Slouinorum iugum excusserant, libertate armis repetita. Quamquam sunt, qui credant Bossinates et Slouinos eandem esse gentem, in quam quidem opinionem uix adducor, quandoquidem lingua inter se haud parum differunt.

Adeptus auitum regnum Polimirus conuocat ad se, quos secum Roma in Dalmatiam uenisse demonstrauius, sciscitatur, in mediterraneisne locis, an maritimis malint sedes habere. Vbi intellexit eos maxime, qui tenuiores genere ac fortunis erant, praeoptare maritima loca, utpote emporio magis idonea, seque malle mercatura ac nauigatione quam cultura sterilis ac asperi circa soli uictum quaerere, illis eo libentius est assensus, quia ingens eius animum cupido incesserat nouae urbis in eo loco condendae, quo primum Dalmatiam petens nauibus erat delatus. Verum natura munitior locus uisus, licet urbi amplificandae haud satis esset commodus, ubi nunc Rhacusa sita est, quoniam, praeter quam quod aeditus esset atque magna ex parte praeruptus, a circumfuso insuper mari pene undique ea tempestate in peninsulae modum alluebatur. Campum enim illum, qui nunc publicis frequens tabernis rerum uenialium forum est, post conditam urbem deducto inde humore constratum esse constat.

Rex igitur priusquam urbis iaceret fundamenta arcem in praealtis rupibus mari subiecto imminentibus, ubi nunc diuae Virginis aedes est ac monasterium, quod sacrae uirgines incolunt, exedificauit munimentum, et aduersus hosteis futurum, et urbanis facilius in officio continendis. Locum Rhacusani Diuam Mariam Castellanam uocant, quanquam sunt qui existiment hanc arcem non a Belo a fundamentis inchoatam, sed potius ab illo, addita etiam Constantinopolitani imperatoris ope, ad cuius imperium id temporis Dalmatia spectabat, instauratam, asserentes una cum Epidaurio ab iisdem hostibus dirutam fuisse. Addunt etiam arcem ipsam, lingua Epidauria Lauusam, eo quod in praeruptis saxis posita esset, uocitatam, in quod quidem nomen totam mox urbem abisse tradunt, Lauusa in Rhacusam mutata.

Ductis deinde duobus muri utrinque brachiis regionem protensis munitionibus ad rupes zephyro obiectas moenibus circumdat, planitie omni extra munitiones relictas, quam partim sylua, partim palustre solum id temporis obtinebat. Nam quicquid urbi inde adiectum est, id totum postea ciues aucti fortuna extruxere. In medio fere oppidi, regionem hanc nunc incolae Pusternam nuncupant, Polimirus diui Stephani Protomartyris erigit templum, reliquiasque Neraei, Archilei ac Pancratii martyrum, Petronillaeque ac Domitillae uirginum argento inclusas, secumque Roma asportatas ibi condit, attributa templi cura quibusdam clientibus suis e familia a cruce denominata, quae iam maiorum ignauia pene extincta est.

Nomen urbis quidam a Rhacusa, Siciliae oppido, eius insulae putantes coloniam deducunt, nonnulli a quodam Rhadacaso, Slouinorum seu Gothorum rege, a quo Polimirus ipse uetustam ducebat

originem. Alii, ut paulo ante dictum est, ab Epidauriis inditum arbitrantur, qui quidem eam a rupibus, in quibus oppidum constructum est, eorum lingua Lauusam appellarunt, paulatimque pro Lauusa Rhacusam esse nominatam, uulgo per linguae corruptelam literas immutante. Satis enim constat Epidaurios, qui tunc patriae superstites erant, suasu maxime pontificis eorum, cuius nomen uetustate excidit, e Burno, quod quidem oppidum, ut demonstrauius, instaurare coeperant, in nouam urbem commigrasse, in ciuitatemque recoeptos, atque quosdam ex his in patritios adscitos, quorum quidem sobolis plerosque hac quoque aetate Rhacusae superesse certum est. Nam Polimirus, constituto in urbe ab se condita senatu, quem ipse partim e suis comitibus creatat, partim ex Epidauriis ciuibus allegerat, hisque duntaxat urbis administrationem concesserat, eundem ibi honorem Epidaurios obtinere permisit, quem olim in antiqua habuerant patria. Et ne quid nouae ciuitati deesset, pontificem Epidaurium, quem Docleatis authoris annales Ioannem nominant, amissa priori sede, Burni agentem praesulem Rhacusanum, Romano pontifice annuente, designat, atque a ditione Salonitani antistitis eximi curat, licet eodem fere tempore Salonae quoque ab Vcris euersae sint.

Turcarum mores describuntur.

Nec mirum est Turcas tantum imperium breui adeptos esse, quandoquidem praeter Christianorum quum desidiam tum discordiam, quae maxime hostili nos iniuriae exponit, his sunt praediti moribus, quos sane, modo non obstet Dei uoluntas, imperium neccessario subsequi solet. Etenim genus hominum est laboris, inediae, uigiliae, aestus, algoris tolerantissimum, animi ad omnia pericula, et ipsam mortem subeundam pro gloria et regis sui amplitudine promptissimi. Vitam parcam ac duram, atque ab omni alienam luxu ducunt. Maior anni pars aut sub dio, aut sub tabernaculis fronde seu culmo intectis agitur, atque quum iter faciunt, uel in expeditionibus sunt, si sol aestius feruet, aut imber incesserit, eadem penula ex subcoactis confecta equum pariter et dominum protegit.

Cibus his simplex ac parabilis est, potus lac aut purus, ut fere et caeteris Machometanis, fontium liquor, uel, cum genio indulgent, melle conditus. Nulla apud eos ars aut disciplina in maiore habetur precio, quam quae decertanti usui esse potest, atque iccirco sagittandi atque equitandi peritissimi sunt. Tanta his belli inest gerendi cupiditas, ut grauius fere ocium quam morbum ferant. Hostibus superatis nihil sibi arrogant, sed totum Deo acceptum referunt. Si forte, ut saepe fit, uincuntur, suae in Deum impietati aduersam adscribunt fortunam. Et quum apud eos nulli sit dedecori paupertas, neque diuitiae neque generis uetustas quempiam honestiorem reddunt. Quem quisque sibi armis et uirtute splendorem parauit, eo satis clarus est, atque iccirco ad gloriam augendam maiorum nobilitatem nemo desiderat. Hospitalitatem adeo sanctam habent, ut cum quo semel cibum sumpsere, eum uel hostem factum atque in acie occurrentem uiolare nefas putent, existimantes etiam in quolibet dissidio ius amicitiae haud esse spernendum.

Ad haec fidem plerique et ius iurandum tanti faciunt, quanti non modo fortunas omnes, sed et ipsam uitam. Fama satis constans est raro unquam Turcam inuentum esse, qui amotis etiam arbitris, atque sub nullo scripto, sibi creditam abnegaret pecuniam, et qui id sceleris commiserit, eum graueis apud inferos poenas luere arbitrantur.

Regem suum postremo tanta colunt ueneratione, ut quosdam morti a rege destinatos in certam iuisse perniciem constet, nec ullo pacto induci potuisse, quo fuga periculum euitarent, ne scilicet aut uitae amore, qua sane nihil iucundius est mortalibus, aut per contumaciam regium neglexisse imperium uiderentur.

Libet obiter huius rei unum duntaxat ac insigne exemplum, quod me puero accidit, commemorare. Erat apud Mehmethem Othomanum Secundum, Bazethis patrem, satrapes Mechmethes Angelus, ex Illyrico oriundus, patria Dardanus, inter omnes purpuratos gratia eminens. Is ira percitus, regis filium, eo quod uxorem eius in publicis balneis constuprasset, ueneno clam necauit, quandoquidem rex in filium pro tali admissio facinore animaduertere noluisset, quum maior poena apud Turcas adulteris constituta sit, quam qua pater filium in regni maxime spem genitum possit afficere, et quod libido magis Mechmethis Angeli quam matrimonium uiolatum esse uidebatur, quia cum singuli Turcarum plures habeant uxores, nullam fere pro iusta ac legitima obtinent.

Vbi haec res ad regem ab his delata est, qui Mechmethi Angelo gloriam ac tantam fortunam, ut fere fit in regum aulis, inuidebant, ceterisque indiciis deprehensa, rex domestico simul moerore, simul satrapis scelere permotus, ei mortem, multis ante quam inferret diebus, propalam minatus est. Amici, quos regis animus in Mechmethem Angelum haud latebat, lachrymantes subinde orare, suadere, ut imminentem pestem fuga euitaret, seseque uiae comites, quacunque pergeret, libenti animo offerre, periculum suum consilio adicientes. Ad haec satrapes, Immortales, inquit, uobis gratias habeo amici, quod mei magis quam uestri memores fortunam meam ruentem, non secus ac stantem incredibili fide prosequimini. Sed meum non est turpem transfugae una uobiscum subire notam, et amicorum charissimis tanti dedecoris, simul et periculi esse causa, atque alienum scelus meum ipsius, fuga patriam relinquendo, facere, in exilioque per dedecus degere studio consulendae uitae, si non regia nunc ui, at certe morbo mox omnino interiturae. Proinde quemcunque exitum mihi dederit fortuna, eum haud inuitus subibo. Atque ita uultu interrito, eodemque animo, quo locutus erat, collum laqueo frangendum carnifici praebuit. His de Othomanorum origine atque imperio, Turcarumque moribus dictis, ad ea quae intermiseram iam regrediar.

Franciscus Tranquillus Andronicus Parthenius

Oratio contra Thurcas ad Germanos habita

Piget me quidem commemorare, ne refricare videar quasi vulnera, quae nondum coierint, quanta multitudo pecoris hominumque recenti memoria rapinis hostium abacta sit ex oppidis et agris nostris, quantum opum exhaustum, quas ferrum et flamma ruinas aediderint, quam longe lateque solitudo pateat ex opimis populosisque terris. Non adeo procul agitis, o viri Germani, quin eiulatum miserorum hominum dum abstrahuntur in seruitutem fumumque incendiorum cernere atque exaudire potueritis. Nolo autem existimeris nobiscum agi more tempestatis aestivae temere coactae atque aliquam terrarum tenuem particulam prosternentis, vicinis partibus vndeque intactis, quam circumiecti agricolae securi suae calamitatis euanescentem intrepide prospectant. Diluuium quidem non aqurum, sed armorum hostis barbarus firmissima deliberatione atque perpetua recentibusque roborata consiliis parat vniuersum orbem Christianum obruere vno impetu atque excindere. Plaeunque contremiscimus exterriti noua coeli facie, quum ex atris et densis nubibus crebra fulgura emicant, ac eiusmodi corruscationes vix possumus oculis perferre, vnoquoque anxio ac dubio de sua salute. Sed postquam unus aut alter fulminis ictu conflagravit, caeteri omnes, discussa tempestate, quam quisque timebat in suam perniciem esse exortam, omni illius metu in posterum liberantur. Hanc vero facem rabidae multitudinis instar incendii latissime debacchantem, nulla uis hactenus, nulli multarum gentium conatus non dicam extinguere, sed reprimere potuerunt, quominus proxima queque corriperet atque inflammaret. Traditum est Cimbros ab extrema quondam ora Germaniae, quum ad eiusmodi subitos casus, nullis sese remediis antea per inertiam, qui mos ignauorum hominum est, muniuissent, repentina inundatione oceani, suis sedibus fuisse pulsos, quem aiunt periti astrorum conuersione coeli planetarumque inter se coitione statis temporibus mirum immodum praeter quotidianam consuetudinem intumescere ac suis egressum finibus in terras interiores irrumpere. Porro eandem stragem mare illud eferuescens in regionibus maritimis Galliae Belgicae iam pridem edidisset, quae nunc maximis opulentissimisque civitatibus habitatur. Caeterum perspicaces et industrii populi frementem illam belluam magnis obiectis molibus redire in suos fines compulerunt, alioqui si sese ignaviae

dedidissent ac nisi ex longinquo suis commodis prospexissent, hodie non haberent vnam in patria glebam, quam incolerent. Res nimirum vobis est cum hoste longe atrocior oceano, quod huic natura terminuos praescipit, quos ultra progredi non licet. Illius quidem cupiditati nullus locus tam munitus, tam asper obstat, nisi virtute militum defendatur, quominus pro libidine circumferat in omnes partes arma sua. Igitur exemplis edocti domesticis, occurrere tamquam in vestibulo grassanti pesti, ne postmodum neglecta irrumpat in penetralia ipsaque adyta occupet ac in ceruicibus consistat. Nam plerique magnopere falluntur, qui in omni rerum varietate atque discrimine solam dumtaxat divinam opem expectant neque sese ad ullos externos impetus vel reprimendos vel superandos commouent. Caeterum discant istius modi professores sapientiae, ne cunctatores appellem, illis quidem coelestia praesidia esse repromissa, qui conciliati Deo pietate atque innocentia mentem, ingenium, operam, ad se ipsos suasque res tuendas et conseruandas adhiberent: alioqui haud scio in quem euentum industriam et manus adiutrices a natura diuinitus haberemus nisi primum nosmetipsi nostris vtilitatibus consuleremus, dehinc proximos tueremur ab iniuria, qui vel sanguinis, vel religionis, vel amicitiae vinculo nobis coniuncti sunt. (...) Satis opinor vnicuique persuasum esse nos constare anima et corpore, illam coelesti origine manantem, hoc terrenaefecis crassitate conditum. Quo fit, ut spiritus si deprauatus illecebra non fuerit, ut ipse immortalis est, ita semper ad immortalia aspiret ac reuerti ad pristinas sedes originis suae contendat. Huic vero terreno corpori quae alia cogitatio nisi de ipsa terra esse debet aut potest, quam extemplo ut aediti in lucem et suscepti sumus, occupauimus, et proinde corporis viribus retinenda nobis et conseruanda est. Natura ne tenuem quidem cibum modicosque vsus necessarios absque magno labore mortalibus concessit. At stolidi arbitrantur Principatus atque Imperia homines madidos vino vnguentisque delibutos et saltantes choreas complicatis (ut dicitur) manibus oscitantium modo posse defendere? Profecto si viros illos afflatos diuino spiritu aequaremus sanctitate, qui nihilominus omnes neruos animi et corporis ad res gerendas attulerant, facile concederem (tantum tribuo nostris temporibus propter Christi promissionem) ut solius inuocatione Dei suspenderemus pluuias, imperaremus tempestatibus, innumeras impetentium hostium cateruas prosterneremus. Atqui obsecro, quis nostrum aut inuidia non vratur, aut superbia non intumescat, aut cupiditate caeterisque istius modi non vexetur affectibus? Quis denique adeo vitam suam ad mores Licurgi finxerit, vt commoda propria publicis posthabeat? His igitur inquinati

sordibus, his flagitiis cooperti speramus nos numen aliquod ex tantis periculis esse nobis torpentibus erepturum? Non facile dixerim maiorisne dementiae sit an inconstantiae praesidium ab eo expetere, quem quotidie sciens et prudens loedas. Cogitanti mihi res Graecorum antequam essent funditus perditae, persimilis status rerum vestrarum esse videtur. Nam et illi fuerunt in eiusmodi periculis, quae initio illi paruo negotio depulissent, nisi mens sana defuisset. Verum enimvero aut domesticis agitati discordiis, aut superbia quae illi genti innata est, cum contemnendis alienis, tum suis supra modum aestimandis aut certe vilitate animorum, spatium dederunt hosti vastandi capiendique fere omnia mediteranea Thraetiae atque Macedoniae: Ferunt Imperatorem, qui Constantinopolim amisit, quum ei fuisset nunciatum captam esse a Thurcis Nicopolim, deinde Adrianopolim, et alias praeterea vrbes proximas, semper respondisse, at nos ea omnia vno momento recuperabimus. In hac vana spe herentem ignauoque deditum ocio prisuquam sese colligere posset, Thurcus fortunam belli secutus vita pariter et imperio spoliauit.

Franciscus Tranquillus Andronicus Parthenius

*Contra Turcas communes Christianorum
hostes ad Deum Optimum Maximum oratio*

Eiusdem ad lectorem epigramma

Ista Sophoclaeo quamuis dicendo Cothurno
Materia est nostro grandior ingenio.
Ne tamen angusto semper mea flumine Cimba
Serperet / et tenuis me tueretur honos:
Lusimus instantis communia damna ruinae
Lusimus et populi castra inimica turcis.
Exoranda meis precibus pia numina blandis
Successere / nouo votaue sparsa metu.
Aequa minus rebus fuerint si carmina, lector,
Spreueris haud nimium: nam voluisse sat est.

Oratio

Summe Pater / rerumque sator / qui lucida
olympi
Et loca pura tenes nullum metuentia finem:
Qui quatis imperio terram / coelumque
profundum:
Horrida Neptuni miscentemque aequora
ventis
Compescis: rursusque iubes attollere fluctus.
Sacratam accinctus candenti fulmine dextram.
Das animum / vitamque bonis / mentemque
pudicam.
Ad scelera innumeris sectaris perdita semper
Supplicii / iusta mundum sub lege gubernans.
Huc precibus conuerte meis pia numina Castis:
Immeritos que cura trahat / quam longa laboris

Ingentis series mortalia pectora verset
Diste Pater / nostrosque metus / miseramque
ruinam.

Quam rabidus populoque tuo / gentique
minatur

Hostis / atrox Vultu / manibusque rapacior
atris.

Religio quem nulla mouet: qui fasque /
piumque

Contriuit pedibus / contempserit ore nefando
Contra hominum / legesque tuas /
Pulchrumque pudorem.

Nec satis est rapidis agros supponere Flammi:
Maenia disiecit: vastatis aedibus amplae
Dirripiuntur opes: quas ingens cura / laborque
Tempore tam longo per summa pericula vitae

Legerat. O superi frustra pia vota fatigant
Vos hominum / gemitusque frequens /
lachrymaeque fluentes

Pars ante ora patrum / patrios pars ante
penates

Interfecta iacet: neque liuida busta paratis
Conduntur tumulis: optataque funera desunt.
Templa quibus careant maculis? aut denique
quas non

Sacrilegas sensere manus? expromere verbis
Difficile est / magnosque cient suspiria luctus.
Vel meminisse piget: modo sancto quaelibet
aedes

Nomine plena tuo fuerat: tibi thura. precesque
Fundebat populus multo Christianus honore.

Nunc stabulantur equi: nunc tantum Aegiptia
 foedo
 Sistra strepunt sonitu: nunc orgia vana
 feruntur
 Improba nunc longo turpem stridore Cerastem
 Turba colit: nec Vesta suis placidissima sanctis
 Virginibus prodest: quae passim crine soluto
 Raptatae querulis vastissima luctibus antra
 Impleuere / deum frustra clamore petentes
 Auxilium / ammisso pulchro sine lege pudore.
 Quid referam miseros / quos post incendia /
 saeui
 Post rabiem gladii tristis Fortuna relictos
 Ad grauiora nimis seruauit?
 ...
 ...
 ...
 Tua quem fidissima plebes
 Imploret ventis / pelagoque excussa furenti
 Naufraga? Laedaeos fratresne? an Prothea
 formas
 Fingentem varias? lituo Tritonaue cinctum?
 Seu forsani nigri dominum Plutona barathri:
 Aut geminam prolem Itonae? aut Martis
 inanes
 Belligeri sonitus / priscorum numina vana?
 Quae quoniam grauiter contempsimus /
 vndique certis
 Hostibus affligimur: nobis neque Sarmata / nec
 Thrax /
 Non Hierus intonsus / non est Arimaspus
 amicus:
 Quae faueat toto nulla est gens improba
 mundo.

Heu / quod deterius / mutuis Christiana
 propago
 Decertant odiis inter se: plurimus armis
 Interiit populus: testantur sanguine tincti
 Mincius / atque Athesis: Benacus et ipse cruore
 Creuerat humano: pulchrae pars denique
 nempe
 Quaelibet Ausoniae miseris repleta virorum
 Funeribus nigro sua tristia vellere cinxit
 Tempora: nunc etiam nunquam fera praelia
 desunt
 Tu Pater omnipotens / atque infinita potestas /
 Vnica nostra salus: cuius sine numine sancto
 Nec folia arboribus ventis agitata mouentur /
 Solus opem praebere potes / obliuia si non
 Te teneant hominum / quod nulli credere phas
 est.
 Septeno quid enim coelum fecisse labore
 Prodesset / certisque locis elementa tulisse
 ...
 ...
 ...
 O magni certissima gloria mundi
 Sancte Pater / pedibus qui summa tonitrua
 calcas /
 Vnica spes nostri tandem miserare piorum
 Auertas rabiem / tantam depelle ruinam.
 Supplicii satis est: seruato has denique paruas
 Reliquias hominum: nostris quoque viribus
 adde
 Virtutem / qua nos hostis. vesana prophani
 Agmina ad interitum redigamus: siue subactus
 Legibus / et sacrae supplex obtemperet aulae:

Quisque tuum laudet nomen / votisque
precetur /

Quatenus excelso contingit vertice olympum
Maurus Atlas lybiae / atque extremi
Garamantes:

Atque vbi Tithoni linqvens Aurora Mariti
Complexus / primas illustrat lampade terras.
Vsque et Hyperboreis vicinae montibus orae
Te resonent / et templa tibi pulcherrima surgat.

Non aries vitulusque tuis mactentur in aris:
Balsama / Myrrha recens / passim quoque
pinguia thura
Assiduis precibus / magno fundantur honore:
Omnipotens / solusque Deus / Genitorque
voceris.

Simon Benignius

De Corvatiæ desolatione

Si. Begnii Episcopi Modrusiensis de Corvatiæ desolatione Oratio.

Si animis vestris excidisse crederem quod longa satis et miserabili oratione praedixisse me recolo, uberiori nunc lachrymarum torrente subsequutam Corvatiæ desolationem prosequer. Verum quoniam hodierna haec dies de priori illa iudicium faciet, legationis huius munus detrectare non debui, quandoquidem et ad te veni, pater beatissime, qui benignissime alias me audistis, et tuam, Deus optime maxime, causam ago, cuius misericordiam supplex imploro ut et mihi dicendi copiam et Leoni pontifici nostro maximo hisque patribus calamitates nostras intelligendi et providendi promptitudinem largiaris. Fregepanum familia, si generis antiquitatem inspicimus, nobilissima, si res domi militiaeque gestas percurrimus, clarissima semper extitit. Ex ea tamquam faecundissimo quodam seminario dignissimi in omni vita viri prodire. Quorum qui domi claruerint nemo est qui scire non possit si perquirere libet. Ex his autem qui lustrandi studio et Romani nominis propagandi causa Italia egressi sunt, devotissimi Sanctitatis Tuæ et Sacrosanctæ Sedis apostolicæ filii Bernardinus, Ioannes, Nicolaus et Michael descendere. Quorum res gestas et merita, quoniam vitali adhuc aura perfruuntur, silentio involvam. Quantæ tamen maiores eorum pietatis religionis et auctoritatis fuerint, non ab re erit pauca commemorasse. Federicus et Bartholomeus Fregepanes Belam Vngarorum Regem anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto campestri praelio a Tartaris profligatum, regno deinde expulsum et ad maritima latibula fugientem (quo tempore Veglia insula potiebantur) benignissime excaeperunt et viginti quattuor auri atque argenti facti marcharum millibus donaverunt. Quo auxilio ille se suosque colligens adiuvantibus maxime Fregepanum copiis Tartarorum rabiem repressit eorumque imperatore et multis millibus una acie caesis amissum paulo post regnum recuperavit. Ioannes Bernardini proavus Sigismundo tunc Ungarorum Regi (quo tempore triceps illud Schisma vigeat) quadraginta duo ducatorum millia mutuo dedit. Qua pecunia adiutus Sigismundus innumeras fere ad rempublicam Christianam ex voto componendam impensas fecit, perniciosissimum schisma extinxit et eam qua nunc quoque fruimini pacem uobis comparavit.